



# De Dionysii Halicarnasei antiquitatum auctoribus Latinis : dissertatio philologica

<https://hdl.handle.net/1874/35377>

W. Litt. 67.

29/10/67

DE

DIONYSI HALICARNASEI  
ANTIQUITATVM AVCTORIBVS LATINIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM  
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA  
RITE OBTINENDORVM CAVSSA  
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS  
DIE XV MENSIS NOVEMBRIS ANNI CCCCCCLVIII  
PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

ADOLPHVS KIELSLING  
CHELMIENSIS BORVSSVS

AD VERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

ANTONIVS KLETTE PHIL. DR. REG. BIBL. CVST.  
FRIDERICVS HANOW PHIL. DR.  
CVRTIVS WACHSMVTH SEM. PHIL. SOD. ORD.



LIPSTIAE  
TYPIS B. G. TEVBNERI

**FRIDERICO · RITSHELIO**

**P R A E C E P T O R I · A M A N T I S S I M O**

**D · D · D**

**ADOLPHVS · KIESSLING**

Dionysi Halicarnasei fontes explicaturo mihi non ea est petenda uenia quasi rem saepius iam ab aliis eisque doctioribus tractatam denuo repetendam curauerim. prorsus enim intacta et paene deserta a uiris doctis iacuit tota haec quaestio, cum is quem ante hos quadraginta annos consulto in has res inquisuisse tradit Lachmannus de font. Liu I 1 Nie. Krarupius quae repperisse sibi uisus est publici iuris non fecerit. neque multum profecimus Kuschelii docta et diligentie primi antiquitatum libri fontibus dissertatione Vratislauiae 1842 edita, cum illius libri rationes tam sint singulares ut inde fere nihil de reliuis adsequi possis. Integralm igitur adgressus rem, paucis nunc quam in tractatione et dispositione elegerim uiam exponere in animo est. neque enim eo studio ad hanc quaestionem accessi ut semper aliquid temere a scriptore ipso fictum additumque esse suspicarer, sed quod in historicis studiis maximi est momenti, non praeiudicata opinione id solum explorare conatus sum quos quoque loco secutus sit auctores. nequaquam enim Dionysium quidquam ipsum exegitasse — siquidem exceperis orationes quarum ratio suapte natura prorsus est alia — constat, sed uiri docti suspitiones a Wachsmuthio primo iactas magis quam certis conprobatas argumentis libenter adripiebant et decantabant itaque de fide Graeculi erat conclamatum. ac sane hac quoque in re rectissimum iudicium incorruptumque ueri sensum novo probauit argumen-  
to is uir quem non sine summa reverentia nominare decet, B. G. Niebuhrus. concedendum enim erit graecum rhetorem qui Romae tunc temporis degit quo Antiatis Gellique commentarii uberrimi in omnium erant manibus et Varro acerrimo studio totam populi romani antiquitatem diligentissime explicuerat qui-  
que uirorum et in re publica bene uersatorum et antiquitatis ipsius peritissimorum utebatur familiaritate, noui quidquam fin-  
gere ipsum haud fuisse ausurum. Nolim uero ita haec accipi

quasi quae apud Dionysium legimus omnia putem uera — uereor enim ne omnino de eis temporibus quorum historiam ille condiderit certi aliquid statui non possit, ac multa apud ipsum extant quae aut manifesti erroris reliuorum scriptorum consensu arguantur aut suapte natura certam mendacii speciem p[ro]ae se ferant. haec autem omnia ab eis acceperat, quos ut Pisones Antiates Macros alios quorum nomina iustum premit silentium, effrenata fingendi licentia antiquissimam populi romani historiam ita corrupisse constat ut hodie uix paucissima in ueritatem vindicare liceat. quorum narrationes siquidem paullulum mutauit et exornauit, id eisdem continetur finibus quibus Liuium saepius Polybi uerba leniter immutasse scimus. Quae cum ita sint eam ingressus sum rationem ut quos potissimum secutus sit auctores ex eo ordine quem ipse (ant. I 6; 7) proposuit quaererem; qua in re quantum Schwegleri his litteris immature erepti et Merkeli doctissimis profecerim obseruationibus, si tacere mallem quam hoc loco profiteri, ingratus essem.

**H**istoricorum latinorum antiquissimus est Q. Fabius Pictor qui graeco sermone annales suos compositus; graece enim eum scripsisse Dionysi (ant. I 6) et Ciceronis (de diuin. I 21, 43) testimonii satis confirmatur, etsi non defuerunt qui latinum quoque annualium opus eum condidisse sibi persuaserint, duobus illis Ciceronis locis praeceps confisi (de legib. I 2. de orat. II 12) quibus inter historicos latinos Fabius quoque Pictor enumeratur. Quae enim praeterea in hanc sententiam adferuntur aut ad Ser. Fabium Pictorem qui commentarios de iure pontificio et rerum gestarum libros edidit aut ad Fabium Maximum (ut Gell. n. a. V 4) pertinere non est dubium. quamquam ne Ciceronis quidem uerbis, dum modo recte ea interpretetur, cogimur ut Fabium latine scripsisse conedamus. recenset enim M. Tullius scriptores latinos secundum elegantiam quam in libris suis conponendis rebusque maiorum describendis adsecuti sint. qua re uituperationem eius non ad dicendi genus, sed ad artem sine graece illi siue latine scripserunt spectare in propatulo est. utut autem haec se habent, Dionysium graecis Fabi Pictoris annualibus uti debuisse facile aliquis inde sibi persuadeat, quod graecum hominem ex eis in primis monumentis cognitionem suam hausisse est consentaneum, ad quae propter sermonem facilior ei patebat aditus. quod quantopere in romanarum rerum scriptores graecos cadat perspicere licet ea ex ro, quod et Diodorus et Plutarchus hanc praeceps ob caussam, ille eiusdem Fabi annales\*) hic Iubae ἀρχαιολογίαν φωματικὴν duces sibi elegerunt. Attamen aliter sensisse Dionysium statim demonstrabimus. neque sane mirum id nobis uideri potest, si reputamus Fabi historiam ita fuisse con-

---

\*) Quam infirmis argumentis Harlessius nuper Diodorum latinis Fabi annualibus usum esse probare conatus sit (de Fabiis et Aufidiis pag. 4) non est cur uberior exponam.

paratam ut ille nullum sere fructum inde capere potuisset. breuiter enim antiquissimorum temporum historiam perstrinxisse potius quam exposuisse eis docemur quae Dionysius ipse de Fabio eiusque aequali Cincio iudicat (ant. I 6). qui ubi dixit nullam romanarum rerum historiam graecam extare ὅτι μή περιελαυνόδεις ἐπιτομὰς πάνυ βραχείας, ita pergit: οὐοίτε δὲ τούτοις καὶ οὐδὲν διαφέρουσαν ἔξεδωσαν ἴστορίας καὶ Ρωμαίων οὔσαι τὰ παλαιά ἔγραφε τῆς πόλεως Ἑλληνικῆς διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὥν εἰσι πρεξβύτατοι Κόιντος τε Φάβιος καὶ Λεύκιος Κλύπιος — τούτων δὲ τῶν ἀνθρώπων ἐκάτερος, οἵς μὲν αὐτὸς ἔγραφε παρεγένετο διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀριθμὸς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν πτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα περιελαυνόδεις ἐπέδραμεν. nollem autem nonnullos uiros doctos disertum hoc Dionysi testimonium tam futilebus argumentis euellere conari, quale est illud quod Cinci librum alterum uix ultra Numae tempora progressum esse contendunt. etenim Cinci libri II memoria solum apud personatum Aurelium Victorem de origine urbis extat, quem totiens e romanae historiae auctorum numero furea expulsum tandem aliquando exosculari pudeat uiros doctos! Sed aliunde quoque Fabium res antiquissimas breuissime tantum et suminatim enarrasse uel potius enumerasse confirmari potest, si quidem maxime est probabile Liuium in prioribus duobus libris e Fabi plerumque pendere auctoritate cf. Lachmann de fontibus Liu I pag. 13. nec est cur eos locos, quibus singulari cum breuitate quid quoque anno gestum sit raptim percurrit, ad uerbum e Fabio expressos esse negemus. Si autem ea quae de eisdem rebus apud Dionysium uberrime exponuntur cum his comparamus, statim fit perspicuum hunc Fabio neque usum esse neque omnino uti potuisse. quo in genere in primis digna sunt commemorata ea quae leguntur apud Liuium II 16 consules M. Valerius P. Postumius. eo anno bene pugnatum cum Sabinis. consules triumpharunt. eadem enim Dionysius satis prolixa narratione V 37—40 exponit. uid. etiam Liu. II 19 init. conl. Dion. V 52—58; Liu. II 21 conl. Dion. V 59—VI 2; Liu. II 40 fin. conl. Dion. VIII 64—68. Fabulas solas de initiis urbis Romulique conditoris origine et Fabius Cinciusque et reliui Romanorum scriptores ueteres accuratius exposuerunt. qua de caussa Dionysius cum ad hanc partem deuenisset, ad Pictoris quoque praeccipue auctoritatem sese adstrinxit eum-

que secutus est in enarratione earum rerum. cf. I 79: περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων, Κοίντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, φῶτος τε Κίγνιος καὶ Κάτων Πόροιος καὶ Πεύσων Καλπούρηος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλεῖον ἡκολούθησαν [ἐν τῇ πρώτῃ\*] γράψει ὡς π. τ. λ. quae cum primus Portus, deinde Reiskius ita accepissent ut ea quae secuntur omnia pro ipsis Fabi uerbis haberent, multi uiri docti lineolis Reiskianaæ editio-  
nis margini adpositis decipi se passi sunt et uerba: ὡς ἐν τοῖς πατρόνοις ὑπὸ Ρωμαίων ἔτι καὶ νῦν ἔδεται (I 79 med.) non ad Dionysi tempora, quod recte uidit Niebuhrius (hist. rom. I p. 283), sed ad Pictoris referenda esse statuerunt. cf. Bernhardy hist. litt. rom. adn. 20 et Merkel prol. in Ouidi fastos pag. CL, qui acerbissime hunc errorem castigat. sane unicuique qui totam hanc narrationem non leviter peruolabit sed accuratius examina-  
bit singula quae in ea pertractantur, Niebuhrium uerum uidisse adparebit. mitto quod Dionysius ubicunque ipsa auctorum suo-  
rum uerba adferat, nusquam ea particulis ὡς uel ὅτι adneet (cf. I 13; 28) atque inde a capite 80 Tuberonis et ipsius Fabi denuo fit mentio, cum totius narrationis indoles et dicendi genus non senatorem romanum graece balbutire conantem sed rhetorem do-  
ctissimum ubique prodat. an Fabium tantam cultissimi scholæ Isocrateæ sermonis cognitionem habuisse putabimus ut caute-  
uocalium longarum concursus euitaret, cum Dionysius quanto studio tales offensiunculas fugerit quaevis doceat pagina? qui potuit Fabius dicere Iupae Capitolinae signum a.u. c. CCCCLVIII possum esse χάλκεα ποιήματα παλαιᾶς ἔργασίας, quod quam deceat Dionysium ex eis uerbis patet quibus penatiū signa descri-  
bit (I 68) εἰσὶ δὲ νεαρίστα δύο καθήμενοι, δόρατα δὲ εἰληφότες (sic B), τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης. cf. Merkel l.c. pag. CL. reperiuntur denique in ipsis uerbis singula quae Dionysio sunt familiaria atque propria ut: καὶ συλλέξας ὕσοντας ἐδύνατο πλεῖστους τῶν ἀγχού νε-  
μόντων. cf. I 29. III 57. III 58. V 22. graecum denique scripto-  
rem uerba ipsa de quibus inter uiros doctos disceptatur ὡς —  
ὑπὸ Ρωμαίων ἔτι καὶ νῦν ἔδεται produnt. uid. Baumgart. de Q. Fabio Pictore pag. 33 sq.

\*<sup>o</sup>) Sic scribendum puto pro eo quod in omnibus extat codicibus τῇ γραφῇ quodque primum a Stephano in τῇδε γράφει mutatum est

Etsi uero hanc partem accuratius e Fabi opere rettulit Dionysius, tamen ipsum nequaquam ei ad sensum esse eis docemur quae statim addit (cap. 84 init.) ἔτεροι δ' οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντες ἴστορικὴ γραφὴ προσήκειν, τὴν γε ἀπόθεσιν — ἀπέθανον εἰναι φασὶ καὶ τῆς λυκαίης τὸ τιθασὸν — ὡς δραματικῆς μεστὸν ἀπίλας διασύρουσιν: saepius enim hac ratione eis qui historiam ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἀποφάνουσι alios opponit qui παραλλάττοντες — ἐπὶ τὸ τῇ ἀληθεῖᾳ ἕστιος μᾶλλον (I 79) et τὰ μυθῶδη πάντα περιεργοῦντες ἐκ τῆς ἴστορίας (II 61) fabulas mythosque antiquos obuetustatis aeruginem nobilem uenerandos pessimum Graecorum exemplum secuti corruperunt et ipsi qui omni erat poetico sensu destitutus mirum quantum placebant. qui uero hi fuerint difficile est dictu; etsi enim Niebuhrius Pisonem ut eum qui primum hoc in genere excelluisset notauit, tamen uero ne e paucissimis quae nobis seruatae sunt reliquiis certi quid effici non possit; Valerius Antias ipse fabulas finxit omnium ineptissimas cf. Arnob. V 2; posses opinari Macrum cum priscam historiam e monumentis uetustis quae aetatem tulerunt restituere et illustrare conaretur, hoc studio facile eo peruenire potuisse ut fabulis antiquis colorem mythicum abstergeret, nisi certius esset fateri nos hoc nescire, id solum scientes Fabium talis fraudis esse expertem. quamobrem tam non eo usus est Dionysius, ut ubique Fabi auctoritas ab aliis scriptoribus profertur eam ab illo spretam esse adpareat. Insigne est iudicium quod fertur de Fabio III 30. rettulerat enim Tanaquilem quam Dionysius (III 7) septuaginta quinque annos natam fuisse cum Seruius Tullius regnum adipiscetur demonstrauerat, Arunti filio a Tullia ueneno interempto ipsam iusta soluisse: προστεθέντων δὴ (sic AB) τοῖς ἐβδομήζοντα καὶ πέντε ἔτεσιν ἐτέρων τετταράκοντα ἑτῶν· ἐν γὰρ ταῖς ἐνιαυσταῖς ἀναγραφαῖς κατὰ τὸν τεσσαρακοστὸν ἐνιαυτὸν τῆς Τυλλίου ἀρχῆς τὸν Ἀρροῦντα (sic AB) τετελευτήσκότα παρειλήφαμεν — ἑτῶν ἡ Τανακυλλίς ἐται πεντεκαίδεκα πρὸς τοῖς ἑκατόν. οὗτως ὀλίγον ἐστὶν ἐν ταῖς ἴστορίαις αὐτῷ (Fabi) τὸ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῆς ἀληθείας ταλαιπωρον (sic B). codem uero hoc loco docemur Fabium in historia sua regum res gestas non hac ratione secundum annorum seriem disposuisse ut quid quoque anno factum esset referret, sed narratione continua sicut postea Liuius fecit explicasse. opponuntur enim, si quid video, Fabi ἴστοριας aliorum ἐνιαυσιαι ἀναγραφαι in quibus Aruntem

quadragesimo Serui anno obiisse extabat. Praeterea Fabius commemoratur locis hisce: I 74. urbem conditam esse statuit Κόιντος Φάβιος κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὥγδοης ὀλυμπιάδος, quae uerba etsi a uolgaribus absunt exemplaribus tamen e codicibus ABC\*) sunt reponenda. satis autem notum est Dionysium Fabi rationem propter Catonianam spreuisse. Tum saepius eius fit mentio in Tarpeiae historia in cuius enarratione ea quae Fabius et Piso diuerso modo rettulerant comparantur: II 38 καὶ αὐτὴν (Tarpeiam) ὡς μὲν καὶ Φάβιός τε καὶ Κίγνιος γράφουσιν, ἔνως εἰσέχεται τῶν φελέων (sic B) ἢ περὶ τοὺς ἀριστεροὺς βραχίονις ἐφόρουν καὶ τῶν δακτυλίων (sic B). χρυσοφόροι γάρ ἡσαν οἱ Σαβῖνοι τότε καὶ Τυρρηνῶν οὐχ ἦττον ἀβροδίαιτος \*\*), ὡς δὲ Πείσων Αεύκιος ὁ τιμητικὸς ἵστορες, καλοῦ πράγματος ἐπιθυμίᾳ γυμνοὺς τῶν σκεπαστηρίων ὅπλων παραδοῦναι τοῖς πολίταις τοὺς πολεμούς. ὅποτερον δὲ τούτων ἀληθέστερόν ἐστιν ἐκ τῶν ὕστερον γενομένων ἔξεστιν εἰκάζειν. rettulit deinde Piso Tarpeiam consilium suum patefecisse Romulo II 39 οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιόν τε καὶ Κίγνιον οὐδὲν τοιοῦτον γεγονέναι λέγοντιν, ἀλλὰ φυλάξαι τὴν κόρην διαβεβαιοῦνται τὰς περὶ τῆς προδοσίας (sic AB) συνθήκας· τὰ δ' ἔξις ἀπαντες πάλιν ὄμοιώς γράφουσιν· atque in eo rursus dissentiant, quod Piso Fabium dolo detecto iratum Tarpeiam scutis obrui itaque interfici iussisse tradidit, οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιον ἐπὶ τοῖς Σαβῖνοις ποιοῦντες τὴν τῶν ὁμολογιῶν ἀπάτην. — addit denique Dionysius: ἔοικε δὲ τὰ μετὰ ταῦτα γενόμενα τὴν Πείσωνος ἀληθεστέραν ποιεῦν ἀπόκρισιν. τάφου τε γάρ ἔνθα ἐπεσεν ἡξιώται, τὸν λεωφάτον τῆς πόλεως πατέχουσα λέφον, καὶ χοᾶς αὐτῇ Ρωμαῖοι καθ' ἔκαστον ἐνιαυτὸν ἀποτελοῦσι· λέγω δὲ ἂν Πείσων γράφει (II 40). certe persuadere sibi non potuit Piso Tarpeiam cui usque ad sua tempora sacrificium fieri sciebat Capitolium hostibus prodere uoluisse ideoque alteram hanc narrationem ex cogitauit. ceterum apud Liuum quoque quem in initio operis sui Fabium sequi dixi, ita tamen ut Pisonem hic et illic inspic-

\*) Eisdem codicium siglis utor quibus Ritschelius praeeceptor carissimus in commentatione de codice Vrbinate (Bonnae 1847), qui qua insigni uoluntate discipulorum suorum studia fouet, mihi quoque ut eis quae e codicibus Dionysi enotauerat uterer concessit.

\*\*) Hic ea quoque locum suum habuisse suspicor quae e Fabio profert Strabo V 228 C φησὶ δ' ὁ συγγραφεὺς Φάβιος Ῥωμαῖονς αἰσθέθαι τοῦ πλούτον τότε πρῶτον, ὅτε τοῦ ἔθνους τούτου πατέστησαν κύριοι.

ret, huius inter Fabium et Pisonem discriminis uestigium extat. postquam enim rem totam duce Fabio exposuit, addit: 'sunt qui eam ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus haberent, directo arma petisse dicant et fraude uisam agere sua ipsam peremptam mercede' I 11.

Deinde uituperatur Fabius quod Aruntem et Lucium Tarquini Prisci filios fuisse una cum reliuis praeter Pisonem scriptoribus crediderat. IIII 6: *Βούλομαι δὲ ἐπιστήσας τὸν ἔξης λόγον ἀποδοῦνει τὰς αἰτίας, δι’ ᾧ οὐτε Φαβίῳ συγκατεθέμιν οὔτε τοῖς ἄλλοις ἴστοριοις ὅσοι γράφουσιν νῦν εἶναι τοὺς καταλειφθέντας παιᾶς ὑπὸ Ταρκυνίου — παντάπειτο γὰρ ἀπεισκέπτως καὶ ὁρθύμως οἱ συγγραφεῖς αὐτῶν (sic ABC) ταῦτην ἔξεινηρόχασι τὴν ἴστοριαν, οὐδὲν ἔξητανότες τῶν ἀναιρούντων αἰτήν ἀδυνάτων τε καὶ ἀτόπων, eademque est caussa cur Dionysius ei Collatinum Egeri filium fuisse scribenti adsentiri nequeat (III 64). Rursus non Fabio sed Catoni de numero tribuum a Seruio Tullio institutarum fidem habendam esse statuit IIII 15 *Αἰτεῖται δὲ καὶ τὴν χώραν ἀπασαν, ὡς μὲν Φέβιός φησιν εἰς μοίρας οὗς καὶ εἴκοσιν, ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλὰς, καὶ τὰς ἀστικὰς προστιθεὶς αὐταῖς τέτταφας, τριάκοντα φυλὰς ἐπὶ Τυλλίου τὰς πάσας γενέσθαι λέγει· ὡς δὲ Οὐεντώνιος ἴστορηκεν, εἰς μίαν καὶ τριάκοντα φυλὰς — Κάτων μέντοι τούτων ἀμφοτέρων ἀξιοπιστότερος ὡν, οὐχ ὅργει τῶν μοιρῶν τὸν ἀριθμόν.* cf. Niebuhr hist. rom. I adn. 973. Adparet igitur ex omnibus his quae adtuli exemplis — de eis enim quae VII 71 leguntur postea dicam — Fabium saepe quidem ut auctorem grauissimum conmemorari, sed eius sententiam ubi a reliuis discrepet semper utpote falsam et errabundam neglegi. Sed audio iam aliquem mihi respondentem: quid quod cum nominat tantum ubi ab eius sententia discedendum esse censet, in reliuis religiose sequitur? quod ut per se fieri potuerit, tamen si quidquid praeterea e Fabi opere nobis seruatum est cum Dionysi narratione accurate contulerimus, prorsus reiciendum esse adparebit. Tradit Diodorus apud Georgium Syncellum I pag. 366 Bonn. illius auctoritate usus, suem grauidam Aeneae uisam in eo loco porcellos triginta edidisse ubi post totidem annos Ascanius Albam Longam condituras erat, ipsumque Aenean specie nocturna prohibitum esse quominus statim ibi consideret. Longe aliter apud Dionysium I 56 Aeneas in eo colle quo sus enixa erat Lauinium*

condit. quae cum conciliari nullo modo possint, Fabium hoc loco a Dionysio neglectum esse concedendum est. Porro Plutarchus refert (Romul. 14) secundum Fabium Sabinas uirgines quarto ab urbe condita mense esse raptas. at ille II 31 τεῦτα δὲ γενέσθαι τινὲς μὲν γράφοντις κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς Ρωμύλου ἀρχῆς. Γραῖος δὲ Γέλλιος κατὰ τὸν τέταρτον. ὁ καὶ μᾶλλον εἰκός, itaque Gellium sequi mauolt. Apud Liuium deinde legimus haec I 44: 'milia octoginta eo lustro ciuium censa dicuntur. adicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor corum qui arma ferre possent eum numerum fuisse'. at Dionysius Fabium ἀναγραφῶν τιμητικῶν auctoritati posthabendum esse censem (III 22). Fabius praedam Pometinam quadraginta talenta fuisse scripserat (Liuus I 55); Dionysius hac quoque in re alium auctorem praeferit IIII 50 οὗτος δ' ἄρα πολὺς ὁ καταληφθεὶς ἀργυρός τε καὶ χρυσός ἦν, ὥστε τὸν μὲν στρατιωτὸν ἔκαστον πέντε μανῆς ἀργυρίου λαβεῖν, τὸ δὲ τοῖς θεοῖς δεκατευθὲν ἀργυρίου τετρακοσίων οὐ μέιον γενέσθαι τελάντων. Fabius denique Coriolanum senem inter Volscos diem supremum obiisse auctor erat: Liu. II 40: 'apud Fabium longe antiquissimum auctorem usque ad senectutem uixisse eundem inuenio'. frustra huius rei uestigium apud Dionysium qui satis prolixe Coriolani res gestas persequitur quaesiueris.

Eodem redit quod ubiunque Liuius ad 'uetustissimorum scriptorum' auctoritatem prouocat, uetustissima haec testimonia a Dionysio prorsus neglecta esse inuenimus. Tradit Liuius (II 18) Postumo Cominio T. Larcio eos. primum dictatorem factum esse non satis constare; 'apud ueterinos tamen auctores T. Larcium dictatorem primum, Sp. Cassium magistrum equitum creatos inuenio'; Dionysius contra Lareium Q. Clelio T. Larcio eos. dictatorem factum esse narrat V 75. Rursus Liuius III 23: 'eodem anno descisse Antiates apud plerosque auctores inuenio; L. Cornelium consulem id bellum gessisse oppidumque cepisse certum adfirmare, quia nulla apud uetustiores eius rei mentio est, non ausim'; Dionysius non solum id bellum a Cornelio gestum esse narrat, sed quemquam uetustiorum aliter rettulisse ne uerbo quidem significat X 32.

His quae enumeraui satis mihi demonstrasse videor Dionysium Fabio uti noluisse eiusque auctoritatem spreuisse; restat

ut de eo loco de quo supra statim me disputaturum indicauit panca dicam. Leguntur enim VII 71 haec: (dicere enim uolt Romanos ludorum ritum non a Graecis accepisse) ἐξ ἔκεινου ποιήσομαι τοῦ χρόνου τὴν τέλειαρσιν ὅτ' οὐπω τὴν τῆς Ἑλλάδος εἰχον ἡγεμονίαν οὐδ' ἄλλην διαπόντιον οὐδεμίαν ἀρχὴν, Κοίντῳ Φαβίῳ βεβαιωτῇ χρώμενος καὶ οὐδεμίᾳς ἔτι δεόμενος πίστεως ἑτέρας παλαιότερος γέρος ὁ (add. A) ἀνὴρ τῶν τέλεων τῷ Ρωμαικὰ συνταξμένων καὶ πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἥκουσε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω παρεχόμενος. quantopere haec sententiae meae quam modo proposui repugnant unusquisque intellegit. accedit quod Fabium antiquissima tempora non semper κεφαλαιωδῶς tetigisse magis quam uberioris enarrasse est consentaneum, siquidem ea quae secuntur e Fabio omnia sumpta esse statuimus, id quod nonnulli uiri docti fecerunt. accuratissime enim eis splendidissimus adparatus describitur quo pompa circensis ludis uotis dictatoris A. Postumi incesserat. attamen omnia bene se habent dum modo Dionysi uerba accuratiis interpretemur. quo enim spectare putabimus uerba ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγραψε, quae in nullam aliam ualent partem, quam Dionysium e Fabio aliquid quod ille ipse uiderit referre? quod haud leuiter confirmatur eis quae secuntur: ἀναλογούμενοι δὲ τὰς παθέταστον ἐνεπνεύματαν τε τὰς θυσίας καὶ τοὺς ἀγῶνας ἀργυρίου πεντακοσίους μνᾶς· καὶ μέχρι τοῦ φοινικοῦ πολέμου τοῦτον ἐδεπάνων εἰς τὴν ἕνοτὴν, licet igitur nobis statuere Fabium ludos quosdam splendidos qui ipsius tempore facti sunt describere, Dionysium autem eius uerba ad antiquos illos Postumi ludos pernurse rettulisse, quae coniectura aliis quoque argumentis firmari potest. ut uno defungar, mentio Aesculapii apud reliquos scriptores non ante a. u. c. CCCCXXXX facta uelut ne ea quae secuntur ad Postumi tempora referamus. certe Fabius in temporum suorum enarratione ludos aliquos magnos uotos — ut cum Liuio loquaris — accuratius descriptis addiditque fortasse impensas esse his ludis quingentas minas more maiorum decretumque ut graeco ritu fierent. quod factum esse arbitror cum Pictor ludos magnos uotos aeris trecentis triginta tribus milibus trecentis triginta tribus triente post cladem Trasumenam Fabio Maximo auctore secundum libros fatales, Iectisterniumque duodecim deorum graeco ritu habitum narraret. uide Liu. XXII 10. Plut. Fab. 4. ni fallor illa quoque uerba: τελευταῖαι δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰπόντες ἐπόμεναι.

πενον — οὐ μόνον Διὸς καὶ Ἡρας καὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ποσει-  
δῶνος καὶ τῶν ἄλλων π. τ. λ. (VII 72) e lectisternii descriptione  
desumpta sunt; vide Liu. l.c. ‘sex puluinaria in conspectu fuere;  
*Ioui ac Iunoni unum, alterum Neptuno ac Mineruae e. q. s.*’ hinc  
factum est ut Dionysius *fidicines* commemoraret qui antea apud  
Romanos ignoti lectisternii primum adhibiti esse uidentur. Cf.  
Cicer. tuse. disp. III 2, 4.

Hand plus auctoritatis quam Fabio Dionysium Cincio Ali-  
mento tribuisse puto, cum ille semper fere idem quod Pictor  
reftulisse historiamque suam ex eius opere paene exscriptis  
uideatur. ubique enim Fabi Cincique nomina coniuncta inueniuntur  
cf. I 6. II 38. quod autem I 74 in urbis anno natali definiendo  
Cincius a Fabio discessisse traditur, inde hoc loco a Dionysio  
grammaticum Cincium et historicum confusos esse suspiceris.\*)  
cf. Mommsen chronol. rom. pag. 156. In Escorialensibus excer-  
ptis quae Dionysianam coniurationis Macliana narrationem nobis  
seruarunt leguntur haec: *οἱ μὲν δὴ τὰ πιθανώτατά μοι δοκοῦντες γράφειν περὶ τῆς Μαλλίου τελευτῆς οὕτῳ περαθεδώκασιν. λεγέσθω δὲ καὶ ὁ δοκὼν ἥττον εἶναι μοι πιθανὸς λόγος ὃ νέζορνται Κίγνιος καὶ Καλπούρημος ἐπιχώριοι συγγραφεῖς.* (pag. XXXV ed. Didot.)  
quo loco aliquid turbatum esse uerba Καλπούρημος ἐπιχώριοι  
συγγραφεῖς indicio sunt. Calpurnio enim Cincioque tam saepe  
usus erat Dionysius ut haec uerba, quae locum habere possent  
si prima scriptorum illorum fieret mentio, prorsus languida essent  
atque inepta. neque cogitari potest hic romanorum scriptorum te-  
stimonia graecorum narratiunculis — quas epitomatorem consulto  
omnisce conicere liceat — opponi. immo scribendum est: *Καλπούρημος [καὶ ἄλλοι] ἐπιχώριοι συγγραφεῖς.* quodsi uero aliquid hoc  
loco corruptum esse concedendum est, non nimiae uidetur esse au-  
daciae statuere siue eius qui haec excerptis siue librarii culpa ante  
Κίγνιος uerba: *Φάβιος καὶ* intercidisse ut hac quoque in re Cincius  
Fabi uestigia presserit et Dionysius more suo antiquissimo-  
rum annalium narrationem eamque fide digniorem (vide Schwegl.  
I, pag. 136) recentioribus postposuerit.

---

\* ) Verba ‘Αεύκιος Κίγνιος ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βονλεντικοῦ συνε-  
δρίου’ demonstrare nidentur haec non ex ipso Cinei opere esse sumpta,  
sed e scriptore alio, fortasse ipso iuniore Cincio qui proauī ‘senatorii’  
auctoritate commenta sua uenitabat.

Cineum inter scriptores romanos excipit M. Porcius Cato qui primus patro sermone patrum res gestas scribere conatus est. hunc uirum a Dionysio neglectum non esse docent ea quae in prooemio antiquitatum leguntur: — τὰ δὲ ἐκ τῶν ἴστοριῶν ἀναλεξάμενος ὡς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαιτούμενοι Ῥωμαῖοι συνέγραψαν, Πόροις τε Κέτων καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Οὐαλέριος Ἀντιεὺς καὶ Αινίννιος Μάκερ Αἴλιοι τε καὶ Γέλλιοι καὶ Καλπούργιοι καὶ ἔτεροι συχνοὶ πρὸς τούτοις ἄνδρες οὐκ ἀφενεῖς. I. 7. haec accuratius sumt expendenda. Dionysium enim qui in hoc prooemio limando et perpoliendo summam conlocauerat curam, ut id quasi ὅμμα τηλανγῆς ipsius operis proponeret, latinos quibus usum se esse profitetur scriptores eo quo nunc leguntur ordine sine consilio posuisse credi nullo modo potest. neque uero secundum temporum quibus uixerunt rationes enumerauit eos, siquidem Piso uelutissimus auctor in fine positus est post omnes illos Aelios Gellios Maceros Antiates quos actate longe praeceedit. restat igitur ut secundum auctoritatem quam apud se obtinuerint conlocasse eos Dionysium iudicemus; tertia enim si quid video ratio non extat. atque duo discerni possunt scriptorum genera; priores enim plenis nominibus eo quo uixerunt ordine enumerantur: Πόροις τε Κέτων καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Οὐαλέριος Ἀντιεὺς καὶ Αινίννιος Μάκερ; his igitur plurimum auctoritatis Dionysium tribuisse per se est uerisimile. reliui uero: Αἴλιοι Γέλλιοι Καλπούργιοι καὶ ἔτεροι συχνοὶ quasi appendicis loco negligentius adieciuntur neque temporum ratione seruata neque nominibus plene positis. plurali etiam Αἴλιοι e. q. s. cum unum tantum Tuberonem, Gellium, Pisonem nouerit Dionysius uituperationis<sup>\*)</sup> aliquid inesse unusquisque sentit. atque Aelium quidem primo loco nominat quia cum Tuberonum familia summa ei erat necessitudo: uide iudic. de Thueyd. 1; 55 fin. sequitur Gellius qui cum uberrimum de historia romana condidisset opus, prae reliuis Dionysio placere debuit; claudit agmen Piso, qui per priorem archaeologiae partem

<sup>\*)</sup> Recte indicauit Nipperdeius Philol. VI 130: quod plurali posita essent nomina inde nullo modo consequi plures Aelios Gellios Pisones Dionysium significare uoluisse. quamobrem uerba haec nihil faciunt ad O. Iahmii certissimam de Pisone antiquario conjecturam nono argumento confirmandam.

ab eo, ut postea demonstrabimus, non parui est aestimatus. ita omnia bene concinerent, si singulorum locorum accurate facta exploratione Dionysium scriptoribus illis hac quam dixi ratione usum esse confirmaretur. atque de reliquis postea uidebimus, id statim dicam nihil ex eis qui aetatem tulerunt ἀρχαιολογίες libris ad Fabium Maximum auctorem posse referri praeter fabulam quae est de Aeneae aduentu in agro latino atque de sue alba. uerba enim Serui ad Aeneid. I 3: Fabius Maximus annalium I: 'Tum Aeneas aegre patiebatur in eum denenisse agrum macer-  
rimum litorosissimumque' ita congruunt cum eis quae Dionysius de haec re narrat I 56 τῷ δὲ Αἰνεάτῃ τέλος γὰρ τὰ μαντεύματα ἐφα-  
νετοῦ ἔχειν· ὅρῶντι τὸ χωρίον γῆς τε οὐκ ἐν πολῷ καὶ θαλάττης πρόσω καὶ οὐδὲ ταύτης ἐνορμίσασθαι ἀγαθῆς, πολλὴ παρίσταται ἀμηχανία. ut satis probabilis sit Harlessii conjectura (de Fabiis et Aufidiis pag. 3) hacc e Maximi annalibus esse expressa. cum autem tam infrequens sit et rara apud antiquos memoria huius Fabi, quippe qui ob Pictoris nomen et laudes fere neglectus iacuerit, ego in re tam incerta certi aliquid statuere non ausim. fortasse si plura de Fabio Maximo nobis essent seruata Dionysium hand raro ad eius auctoritatem configuisse uideremus. inde enim quod nusquam in antiquitatum libris quos in manibus habemus Fabi nomen comparet, exceptis eis de quibus modo disputavi (I 7), quidquam consequi luculenter Valeri Antiatis exemplo refellitur.

Quoniam uero ordinem disputationis meae semel iam interrupi passus sum, nunc antequam ad Catonem orationem reflectam, quibus praeter hos quos enumeraui scriptoribus usus sit Dionysius paucis adumbrabo. plures enim eum inspexisse uerba καὶ ἔτεσοι συχνοὶ docent. Commemorantur, si graecos excepias scriptores de quibus tam diligenter disptauit Kuschelius ut uix habeam quod addam, hiee: C. Sempronius Tuditanus I 11 de Aboriginum origine: οἱ δὲ λογιώτεροι τῶν Ρωμαιοῦ συγγραφέων, ἐν οἷς ἔστι Πόρκιός τε Κάτων — καὶ Γέιος Σεμπρόνιος καὶ ἄλλοι συχνοὶ Ἑλληνας αὐτοὺς εἶναι λέγουσι τῶν ἐν Ἀχαιᾳ ποτὲ οἰνησάντων ο. τ. λ. Cf. I 13. ex eodem sumpta uidentur quae de mundinis leguntur II 28 conl. Macrob. sat. I 16, 33. C. Acilius III 67. Γέιον Ἀκίλλιον (sic AB) ποιησάμενος τοῦ μέλλοντος λέγεσθαι βεβαιωτήν, ὃς φησιν ἀμεληθεισῶν ποτε τῶν τά-

φροντικαὶ μηχανήται διαρρεομένων τοὺς τιμητὰς τὴν ἀγαπάθασιν αὐτῶν καὶ τὴν ἐπισκευὴν χιλίων μισθῶσαι ταλάντων. hoc referendum est ad Catonis Flaccique censuram qui 'opera deinde facienda ex decreta in eam rem pecunia, laevis sternendos lapide detergendasque qua opus esset cloacas, in Auentino et in aliis partibus qua nondum erant faciendas locauerunt' Liu. XXXVIII 44. Cf. Mommsen h. r. I 773. Vennonius qui XXXV tribus a Seruio Tullio factas esse scripserat (III 15) et M. Terentius Varro de quo post accuratius disputabo. L. Mallium enim e quo oraculum Pelasgis Dodonae datum repetit (I 19) ὁ γὰρ ἐν Αωδώνῃ γενόμενος αὐτοῖς χρησμὸς ὅν φησι Λεύκιος Μάλιλιος ἀνῆρ οὐκ ἄσημος αὐτὸς ἰδεῖν κ. τ. λ. non ipse inspexit sed e Varrone tantum nouit. Non igitur usus est Cassio Hemina, scriptore hand ignobili; num Claudio Quadrigarium nouerit dubitari licet, quoniam ea quae nobis seruata est pars antiquitatum quadraginta annos ante gallicam cladem desinat. e Liuio autem Dionysium, siquidem priores illius libros uiderit, quidquam sumpsisse pernego.

Itaque ut iam reuertatur oratio, Dionysium Catonem haud parui fecisse uel ex eis quae supra disputauit fit uerisimile. multo autem est grauius quod Cato primus Romanos non barbaros sed Graecis cognatos esse contendere ausus est. Etenim Dionysius ipse eam praecepit ob caussam ἀρχαιολογίαν sese scripsisse fatetur, ut populum romanum non ex erronibus hominibusque celestis conflatum sed a Graecis ortum esse demonstraret. atque primum quidem commemorat Catonem in eis uerbis quae supra iam adscripsi (I 11). cf. I 13 οἵς ἔγώ πειθόμενος, εἰ τῷ ὅρῳ Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Ἀβρογγίνων, ὡς Κότωνι καὶ Σεμπρωνίῳ καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἰρηται, τούτων ἔγγονον αὐτὸν τὸ τῶν Οἰνάτρων πείθουαι: tradidit ille igitur Aborigines fuisse quidem Graecos, nescire autem se ex qua Graecorum gente eorum origo esset repetenda, quae enim Dionysius addit de Oenotro Peneuctioque fratribus Lycaone ortis non e Catone sed ex Hellanico aliisque scriptoribus graecis sunt conflata. nulla autem est caussa cur haec ad primum originum librum cum Krausio Catonisque editoribus referamus; pertinent potius ad librum alterum quo Latinorum origines explicuerat. neque aliunde petita esse ea quae de Sabinorum nomine referuntur II 49 uidit C. L. Rothius. leguntur

ibi haecce: Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σεβίνων ἔθνει τεθῆναι φησιν ἐπὶ Σάβου (sic cum Sylburgio scribendum est. cf. Seru. ad Aen. VIII 136) τοῦ Σάγκον δείμονος ἐπιχωρίου κ. τ. λ. Conmemoratur deinde III 15 quid Cato de tribum a Seruio Tullio institutarum numero tradiderit eiusque auctoritas relicuis historicorum narrationibus praefertur. cf. pag. 8. Refert denique Dionysius quo anno Cato urbem conditam esse uoluerit (I 74) eiusque rationem secutus est in computo suo: Κάτων δὲ Πόρκιος Ἐλληνικὸν μὲν οὐκ ὅφιζει χρόνον· ἐπιμελῆς δὲ γενόμενος εἰ καὶ τις ἄλλος εἰς τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἴστορίας ἔτεσιν ἀποφείνει δυσὶ καὶ τριάκοντα καὶ τετρακοσίαις ὑστερούσαιν τῶν Ἰλιανῶν.

Restat ut indagemus quibus locis Dionysius etsi Catonem non nominet tamen ex eo sua mutuatus esse uideatur. qua in re pauca tantum proficere possumus. fortasse e Catone petitum est, quod Anchises anno ante bellum cum Rutulis commissum obiisse narratur (I 64: εἰσὶ δὲ οὖς λέγουσιν ἐπ' Ἀγχίσῃ πατασκευασθῆναι αὐτὸν ἦν Αἴρειον ἐνιαυτῷ πρότερον τοῦ πολέμου τούτου τελεντίσαντι) cum ille solus Anchisam in ipsam Italiam peruenisse tradiderit. attamen Dionysium hic originum libros ipsos euoluisse inde mihi non probatur, quod totam de Aeneae aduentu narrationem e Catonis historiis sumptam non esse constat. cf. Niebuhr. I pag. 215. Paullo maiorem habet probabilitatis speciem quod ea quae de Faliscis Argiuis apud Dionysium I 21 legimus, Catonis esse suspicari possumus propter testimonium Plini III 5, 51 ‘Intus coloniae Falisca Argis orta ut auctor est Cato’. Cf. Solin. II 8. quamquam haec quoque, ut post demonstrabo, Varronicum Kuschelio uindicare malim. Ut paullo audacius progredi liceat, ea quae de Tulli Hostili bello aduersus Latinos narrantur e Catone repetenda esse dixerim. uerba enim (III 34) καὶ αὐτίκα αεροῦνται δύο στρατηγοὺς αὐτοκράτορας εἰρήνης τε καὶ πολέμου, ‘Ἀγκον Πουπλίκιον ἐκ πόλεως Κόρας καὶ Σπούδιον Οὐενέλιον ἐκ Λαονινίου, eandem fastorum latinorum cognitionem produnt, quam is habuit qui scripsit: ‘Lucum Dianum in nemore Aricino Egerius Laebius Tusculanus dedicauit, dictator latinus. hi populi communiter: Tuseulanus Aricinus Lanuuinus Laurens Coranus Tiburtis Pometinus Ardeatis Rutulus’ Priscian. III 4. VII 12. accedit quod duo Latinorum dictatores quorum hoc loco fit mentio orti sunt ex urbibus quae inter ciuitates tabulae Ari-

cinae enumerantur. praeomenum denique Σπούδιος pro Σπούδιος antiquum indicat scriptorem.

Quo erant ea quae adhuc tractauimus incertiora, eo certius iudicare possumus de scriptore ad quem nunc est progrediendum. dicendum eni mibi est, ut eodem quo Dionysius ordine singulos percenseam, de Valerio Antiate, cui illum multum tribuisse et ex eis quae supra exposui est consecarium et argumentis aliunde ascitis probari potest. etenim Valerius ex eorum scriptorum erat numero, qui Polybium sectati non solum quid factum esset pronuntiare sed etiam quo consilio quaque ratione gestum esset demonstrare noluerunt. Vide Asellionem ap. Gellium V 18. quantopere uero hanc ipsam ob caussam Dionysio gratus fuerit patet, quoniam ille idem in antiquitatibus suis consilium secutus nix aptiorem et clariorem auctorem ducemque repperire potuit. Antiatem enim solum ex omnibus annalium qui vocantur scriptoribus usque ad Arnobi tempora propter operis ubertatem sermonisque proprietatem lectitatum esse probabile sane est; scimus certe Plutarchum, cuius aetate per pauci tantum illorum historiorum supererant, Antiatis annales multo saepius quam uolgo creditur compilasse neque quisquam grammaticorum eum propter dicendi genus σόλοιζον uel priscorum seabritie infectum notat, dum modo hoc unum excipias quod saepius apud eum tales perfectorum reduplicatorum formae quales sunt *spepondi memordi* aliae repperiebantur. Liuins saltem nusquam eos scriptores qui omnium consensu ut tenues et inuenusti despiciebantur, Pisonem Postumium alios tam acri uituperatione insectatur, quam in Antiatem ubi res ferebat inuchi solet et ita prodit, quod uerissime statuit Liebaldtius (de Val. Ant. pag. 20) 'se inuidisse claritudini et auctoritati qua Valeri annales laud dubie ob ubertatem suam et quod accuratissimi habebantur floruerunt.'

Etsi autem omnibus his indiciis eo deducimur ut Antiatem a Dionysio neglectum non esse iure nostro statuere possimus, tamen inde grauis nonnullis exoriri possit dubitatio, quod semel tantum eius memoria apud Dionysium extat II 13: Κελέριοι, ὡς μὲν οἱ πλεῖον γράφοντιν ἐπὶ τῆς ὀξύτητος τῶν ὑπηρεσιῶν — ὡς δ' Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεὺς φησιν ἐπὶ τοῦ ἴγεμόνος αὐτῶν (inserit B) τοῦτον ἔχοντος (sic AB) τοὔπομα, uidebimus autem hac re sententiam nostram non modo non infringi et debilitari sed non leniter firmari.

cum enim Dionysius plerumque auctores suos tunc tantum proferat, ubi ab ea quam ipse pro ueriore amplexus est sententia recesserunt remque alia ratione exposuerunt, hinc nihil aliud colligere possumus, quam eum in plerisque rebus cum Valerio sentire. quod quoniam singulis conprobemus exemplis opus est, primum ea proponam quorum Antiatem auctorem esse constat, deinde ea de quibus ultra probabilitatem progredi non liceat.

Certissimum est iudicium de eis quae V 39 de praemio quo populus romanus M. Valerium decorare uoluerit leguntur haec: — *ιδίᾳ δὲ θατέῳ τῷν ἀνδρῶν Οὐαλερίῳ δωρεὰν τόπον εἰς οἰκησιν ἐν τῷ πρατίστῳ τοῦ Παλαιντίου δοθῆναι, καὶ τὰς εἰς τὴν πατασκευὴν δαπάνας ἐκ τοῦ δημοσίου χρηγεῖσθαι. ταύτης τῆς οἰκίας, παρ' ἧν ὁ χαλκὸς ἔστηκε ταῦρος, αἱ κλισιάδες θύραι μόναι τῷν ἐν τῇ Ρώμῃ δημοσίων τε καὶ ἴδιωτικῶν οἴκων εἰς τὸ ἔξω μέρος ἀνοίγονται. idem enim Valerium rettulisse, sed ita ut a reliuis scriptoribus qui domum tantum Valerio publice aedificatain esse tradiderant dissentire, ex Asconio Pediano scimus in Pison. pag. 13 Or. 'Valerio Maximo ut Antias tradidit inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio; cuius exitus quo magis insignis esset in publicum uersus declinaretur, hoc est extra priuatum aperiretur'. Porro ea quae de Numa apud Dion. II 60 reperiuntur, qui ut ciuibus commercium sibi cum deis esse persuaderet, primis ciuitatis conuocatis caenam opiparem splendidissimamque adposuit, qualcm sine deorum auxilio numquam comparare potuisset, ex Antiate fluxisse demonstrat Plutarchus Numae 15. ibi enim inter fabulas de Numa relatas primum hacc eadem de caenae adparatu lautissimo narratur, additur autem alia de Ioue eliciendo, quam apud Arnobium V 1 ipsius Valeri uerbis perscriptam legimus. cuius uerba si cum Plutarchi l. c. conparamus hunc ex ipso Antiatis opere hausisse adparet uerique fit simillimum priorem illam narratiunculam ex eodem scriptore esse petitam. inde autem quod Plutarchi uerba a Dionysio modo ita recedunt ut eum Haliacarnasei libris usum esse cogitari nequeat, modo prorsus cum eo congruunt, utrumque ex uno eodemque fonte sua hausisse euineatur. quod quam uim habeat ut magis intellegatur utriusque uerba subiciam*

Plutarchus	Dionysius
λέγεται γοῦν ποτε καλέ-	καλέσαντα Ρωμαίων πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς

σας ἐπὶ τὴν τραπέζαν οὐκ ὀλίγους τῶν πολιτῶν σκεύη τε φαῦλα καὶ δεῖπνον εὔτελές πάνυ προέσθαι καὶ δημοτικόν. ἀρχαμένων δὲ δεῖπνεῖν ἐμβαλὼν λόγον ὡς ή θεὸς ἢ σύνεστιν ἵκοι πρὸς αὐτὸν, αἰφνίδιον ἐπιδεῖξαι τόν τε οἶκον ἐκπωμάτων πλήρη πολυτελῶν καὶ τὰς τραπέζας ὄψιν τε παντοδαπῶν καὶ παρασκευῆς δαψιλοῦς γεμούσας.

εἰς τὴν οἰκίαν ἐν ᾧ διατάμενος ἐτίγχανεν, ἔπειτα δεῖξαντα τοῖς ἐλθοῦσι τὰ ἔνδον τῇ τε ἄλλῃ κατασκευῇ φαῦλως κεχορηγημένα καὶ δὴ καὶ τῶν εἰς ἑστίασιν ὅχλικὴν ἐπιτηδείων ἄπορα, τότε μὲν ἀπαλλάττεσθαι κελεύειν εἰς ἐσπέραν δὲ καλεῖν αὐτὸὺς ἐπὶ τὸ δεῖπνον· παραγενομένοις δὲ κατὰ τὴν ἀποδειχθεῖσαν ὥραν ἐπιδεῖξαι στρώματας τε πολυτελεῖς καὶ τραπέζας ἐκπωμάτων γεμούσας πολλῶν καὶ καλῶν, ἑστίασιν τε αὐτοῖς παραθεῖναι καταπλιθεῖσιν ἀπάσης ἐδωδῆς, ἷν οὐδὲ ἂν ἐπολλοῦ πάνυ χρόνου παρασκευάσσεσθαι — ὁρίδιον ἦν.

Accedunt uerba ex Antiate a Dionysio ipso prolata quae supra iam transscripsi (II 13), neque neglegendum est quod Valeri sententia quantumuis a reliquis discedens tamen a scriptore nostro non abiecta sed potius probata esse uidetur, siquidem eorum quoque quae I 87 de Celere Remi imperfectore leguntur Antiatem esse auctorem recte Liebaldtius e Serui uerbis (ad Aen. XI 603) collegit.

Nulla uero re magis excelluit — ut ita dicam — Valerius quam numeris aut immodice augendis aut prorsus noue fingendis, quod crimen nemo ei acerbius et acrius exprobrat quam ipse ille Liuius, qui quae est eius ἀκρισία per totum tertium librum passim ab ipsius auctoritate decipi se passus est. ubique igitur Dionysium eiusdem culpae obnoxium depreenderimus, recte Antiate eum confisum esse credemus. quod factum esse uidetur in primis V 42: ἐν ταύταις ταῖς μάχαις Σαβίνων τε καὶ τῶν συμμάχων ἀπέθανον μὲν ἀμφὶ τοὺς μυρίους καὶ τρισχιλίους καὶ πεντακοσίους [add. AB] αἰχμάλωτοι δ' ἐλήφθησαν τετρακισχίλιοι καὶ διακόσιοι. conferre licet Plutarchum qui (Poplie. 20) quot Sabinos Dionysius I. c. Poplicola III consule caesos esse rettulit, tot a M. Valerio consule imperfectos narrat: δυσὶ μάχαις μεγάλαις ὁ Μάρκος ἐνίκησεν. ἀν ἐν τῇ δευτέρᾳ μηδένα Ρωμαίων ἀποβαλὼν τρισχιλίους ἐπὶ μυρίους τῶν πολεμίων ἀνεῖλεν. attamen nec Plutarchus nec Dionysius erroris est culpandus cum Valerius inueniendi nonos eosque diuersos numeros tam fuerit parcus ut in his contra Sabinos bellis non

bis sed ter fere tredecim milia hostium interemptos esse tradaret\*) Cf. Dion. V 49: *μάχης — ἐξ ἡς ἀπέθανον μὲν ἀφὶ τὸν μυρίους καὶ τριακοσίους Σαβίνων αἰχμάλωτοι δὲ ἐλήφθησαν ὄλγον ἀποδέοντες τετρακισχιλῶν.* Dionysius autem cum a M. Valerio rursus fere totidem caesos inueniret, nihil amplius dicere quam hoc consule Sabinorum gentem paene ad internectionem uictam esse satis habuit (V 39 fin.); coniuncta horum Dionysi Plutarchique testimoniorum ui efficitur, ut omnes illos numeros Sabinorumque bellorum narrationem e Valerio petitam esse statuere possimus. nisi enim Plutarchi uerba in hanc partem ualerent, posses etiam credere Dionysium, cum in aliis annalibus ad alios consules clades illa Sabinorum referretur, hac auctorum discrepantia deceptum ter eundem Romanorum uictoriam conmemorasse. accedit quod Liuius talem annalium diuersitatem frauduisse scimus, Dionysio non ita qui saepius Liui errores hinc ortos prudenter euitauit. Insigne est exemplum belli Pometini quod bis apud Liuum enarratur II 17 et 25, quia in Fabi siue Pisonis annalibus Op. Verginio Sp. Cassio cos., apud Antiatem uero, quo ille iam in altero libro hic illie usus est, App. Claudio P. Seruilio cos. adnotatum esse uidetur. at Dionysius Antiatem secutus unum tantum bellum a P. Seruilio profligatum operi suo inseruit. vide Dion. VI 29. Schwegl. II pag. 702.

Suspecti deinde sunt accurati Romanarum Latinarumque copiarum numeri VI 5: *πλῆθος δὲ τῆς συνελθούσης δυνάμεως — ἦν Ρωμαίων μὲν ἐπὶ δισμυρίοις τε καὶ τετρακισχιλίοις πεζοὶ τριακοσίων δέοντες, γλυκοὶ δὲ ἵπποις. λατίνων δὲ σὺν τοῖς συμμάχοις τετρακισμυρίοις μάλισται πεζοὶ καὶ τρισχίλιοι ἵπποις [sic AB] quibuscum iungere licet ea quae leguntur VI 12: ἀπὸ γὰρ τετρακισμυρίων πεζῶν καὶ τρισχίλιων ἵππων ὥσπερ ὁ λειφθέντες ἐλάττονς μυρίων ἐσώθησαν ἐπὶ τὰ σφέτερα et VI 17: (triumphauit Postumius) τὸν ἀλόντας ἐν τῇ μάχῃ πεντακοσίων ἀποδέοντας ἑξακισχιλίονς ἐπαγόμενος.* itaque non dubium est quin tota pugnae Regillensis descriptio e Valerio sit expressa; satis recentem enim auctorem omnia produnt quibus antiqua qualis apud Liuum II 20 extat narratio est obruta, neque

\*) Quam sibi constiterit Antias demonstrant duodecim milia Volscorum trucidati apud Liuum III 1. Saepius duodecim quoque milia inueniuntur apud eundem XXX 29; XXXII 6; XXXIII 10.

udio cui aptius haec tribui possint, cum a reliquis historicis recentioribus Licinio Gellioque discrepare sece ipse Dionysius indicet VI 11: Λιζίνιος μὲν γὰρ καὶ οἱ περὶ Γέλλιον οὐδὲν ἔξητα-  
ζότες οὔτε τῶν εἰκότων οὔτε τῶν δυνατῶν αὐτὸν εἰσάγοντι τὸν βα-  
σιλέα Ταρχίνιον ἀγνοιζόμενον. atque hoc loco dicendum mihi est  
de eis quae Carolus Peterus uir doctissimus nuper disputauit in  
programmate de rationibus quae inter Liuium et Dionysium inter-  
cederent. qui cum in ipsius pugnae descriptione multa prorsus  
cum Liuio conspirare uideret, utrumque haec ex uno eodemque  
scriptore sumpsisse Dionysium, reliqua uero quae ei prae Liuio  
propria sunt pro lubidine finxisse ut melius res concenteret sibi  
persuasit. cf. l. c. pag. 7 'so dasz in der That ziemlich alles was  
wir bei Liuius lesen auch im Dionysius wiederkehrt, und wie-  
derum letzterer, wenn wir von den offenbar erfundenen Aus-  
schnückungen, von den überall wo es anging eingeschobenen  
Reden und von seinen pragmatischen Kunststücken absehen kaum  
etwas Eigenthümliches von Werth bieten dürfte'. Sequeretur  
igitur, cum Liuium in libro altero Fabium ducem praecipue sequi  
sciamus, Dionysium item e Fabio pendere. cur autem Dionysium  
fraudis renn facere quam auctorem eius Valerium malumus? nihil  
enim certius esse potest quam quod item Peterus monuit, annalium  
scriptores recentiores ad uerbum fere expressisse antiquos  
paucis quae ipsi uel reppererant uel prorsus noua excogitauerant  
inmixtis? quid igitur obstat quominus Antiatem e Fabio pugnae  
ipsius descriptionem mutuatum esse eamque reliquias quae apud  
Dionysium aut praecedunt aut secuntur atque numeris illis su-  
spectis exornasse statuamus?

Supra iam dixi Valerium a Plutarcho esse lectitatum, idque  
duobus firmare studui exemplis, ex quibus adparuit ea quae  
Numae 15 et Poplicolae 20 legantur ex hoc scriptore esse sumpta\*).  
ut autem eis quae statim dicam certum quasi fundamentum sub-  
iciam, longius est progrediendum et demonstrandum totam fere  
Poplicolae uitam ex Antiatis historiis esse excerptam. haec enim  
uita ut a Liuui narratione prorsus recelit ita ne cum Dionysio

---

\*) Valerio praeterea usus est Plutarchus Romuli 14; Numae 22;  
de fortit. Roman. 10; Flamin. 18 enim e Liuio petitum esse ueri est  
similius.

quidem conciliari potest. Etsi enim multa insunt quae bene cum illius uerbis concinant, tamen his immixta sunt alia quae sumpta esse non possunt nisi e scriptore alio eoque satis uestusto. ut unum adferam, possis opinari expressa esse e Dionysii V 41. 42 quae cap. 22 de Poplicolae in Sabinos incursione narrantur nisi statim legeremus haecce: *Ποστούμιος μὲν γὰρ Βάλβος ὁ γαμβρὸς αὐτοῦ τρισχιλίους ὄπληται — προελθὼν κ. τ. λ.* quod unde accepisse Plutarchus putandus est, siquidem Postumi Balbi nee apud Liuium nee apud Dionysium nulla occurrit mentio? certe nemo tam bene Valeriorum stemma nouit quam Antias et ipse e Valeria gente ortus. cum autem huius Postumi memoria cum reliquis quae in illo capite narrantur sit coniunctissima, totam Poplicolae expeditionem esse ex eodem scriptore repetendam est consentaneum. accedit quod ea quae cap. 13 de quadriga fictili in fastigio Capitolii posita legimus apud Plinium quoque reperiuntur XXVIII 18 qui hanc fabulam, si ex indicis scriptorum ordine secundum H. Brunnii praeclarum inuentum conjecturam capere licet, ex Antiate excerpserat. honores denique M. Valeri a Dionysio ex eodem scriptore teste Asconio relati eisdem fere uerbis apud Plutarchum cap. 20 conmemorantur, neque in aliam ualeat partem quod et Poplicolae in liberanda re publica partes magnopere sunt auctae et amplificatae, et praeter Cloeliae Valeriae cuiusdam laudes relicuis scriptoribus ignotae celebrantur\*).

Quae si omnia reputo, ad eam quam proposui sententiam necessario ducor. quae quam uim habeat in Dionysium est in propatulo. si enim concedendum est Antiatem praecipuum esse auctorem Plutarchi, idem de Dionysio statuere cogimur, cum eorum in quibus a Liuio dissentiens cum Plutarcho facit eundem auctorem habuerit sit necesse. quod quanti sit uno patefaciam exemplo. Liuius Pisonem secutus (cf. Pisonem ap. Gell. n. a. XV 29) Collatinum propter nomen inuisum fuisse ciuibus et consulatu ante Vitelliorum Aquilliorumque coniurationem abdicasse se narrat. longe aliter Dionysius et Plutarchus qui eum propter nimiam in adulescentes coniuratos clementiam incurrisse in suspicionem referunt. quodsi

---

\* ) Huc referri potest quod teste Plutarcho in pugna apud siluam Arsiam commissa tredecim milia Etruscorum cecidere, de cuius numeri ratione singulari uide quae supra pag. 19 dixi in adnotatione.

hoc modo Plutarchi Dionysique narrationes accuratius contulerimus alia haud pauca ad Antiatem referenda esse videbimus. Cf. Dion V 20 conl. Plut. 16; Dion V 33 conl. Plut. 19 alia.

His exemplis iam ad ea delapsi sumus quae non certa rationationis necessitate continentur, etsi suapte quidem natura ambigua magnam habeant probabilitatem. sicut inde quod recte collegimus Antiati nos debere Valeriae Poplicolae filiae facinora quibus Cloeliae gloria paene obscuratur, facile eo nos adduci patiemur, ut alteram Valeriam quae populum Romanum ab interitu seruasse fertur ad eundem scriptorem grato referamus animo. eam dico Valeriam quae uerbis Dionysi commemoratur hisce VIII 39 (cum Coriolanus ante portas esset matronaeque conuenissent): ἔνθα δή τις αὐτῶν γένει τε καὶ ἀξιώματι προύχουσα καὶ ἡλικίας ἐν τῷ πρατίστῳ τότε οὖσα καὶ φρονήσει τὰ δέοντα ἵνα νωτάτη, Οὐαλερία μὲν ὄνομα Ποπλικόλα δὲ τοῦ συνελευθερώσαντος ἀπὸ τῶν βασιλέων τὴν πόλιν [sic AB] ἀδελφὴ θείφ τινὶ παραστήματι κινηθεῖσα ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω προπτίδος ἔστη τοῦ νεώτερον προεπιλεγμένη τὰς ἄλλας γυναικας πρώτον μὲν παρεμυθήσατο καὶ παρεθάρρυνεν ἀξιοῦσα μὴ καταπεπλήγθαι τὸ δεινόν· ἔπειτα ὑπέσχετο μίαν εἶναι σωτηρίας ἐλπίδα τῇ πόλει, ταύτην δὲ ἐν αὐταῖς εἶναι μόνας καταλειπομένην, ἐὰν θελήσωσι πράττειν ἡ δεῖ. cum autem mulierum legatio excidium ab urbe auertisset ciuesque eam ob caussam Fortunae muliebri aedem dedicassent λέσχαι μὲν ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἀπεδείχθη τότε πρώτον ἡ τὴν γνώμην αὐταῖς εἰςγηγησαμένη περὶ τῆς πρεξβείας Οὐαλερία (VIII 55). quae omnia prorsus sunt singularia neque apud quemquam reliquorum scriptorum praeter eos qui Dionysium exscripserunt Appianum et Plutarchum in uita Coriolani reperiuntur. Suspicio denique eorum quae de Sabinarum raptu referuntur non nulla ab Antiate haud esse aliena, quod ut demonstrem proficiscendum est de numero raptarum quem alii aliter scriptores subtiliter exequendo rettulerunt. huius discrepantiae fundus est Plutarchus Romuli 14 ἀρπασθῆναι δέ φασιν οἱ μὲν τριάκοντα μόνας ἀφ' ὧν καὶ τὰς φρατερίας ὄνομασθῆναι· Οὐαλλέριος δ' Ἀντίας ἐπτά καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας· Ἰόβας δὲ τρεῖς καὶ ὄγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας. atque Fabius ueterem fabulam secutus fuisse eas triginta quarum nomina Romulus curiis imposuisse tradidit, siquidem Liuius (I 13) eum, non Pisonis auctoritatem amplexus est. ab altera autem parte Varro numerum

eorum IOXXVII fuisse auctor erat (Dion. II 47) et Dionysius ipse quasi omnes eundem rettulerint numerum dicit καὶ μετὰ τοῦτο διαιριθμός τὰς κόρας ἔξανοστας τε καὶ ὄγδοηκοντα καὶ τρεῖς εὐνηθείσας, πατέλεσεν ο.τ.λ. (II 30) haec autem conciliari nullo modo possunt. Primum enim quaeri potest cur Dionysius Iubam potius, quem num nouerit ualde dubito, quam Antiatem uel Varro nem sequi maluerit; deinde singularis est res, quod Iuba hoc loco a Varrone qui praecepuis eius fuit auctor dissentit, miro denique casu factum est ut ne Varro quidem prorsus singulari ratione nouum protulerit numerum sed eundem cuius Antiatem auctorem fuisse e Plutareho scimus. num igitur nimiae est audaciae apud Plutarchum Iubae et Valeri nomina ita permutare ut legatur: Ἰόβας δὲ ἐπτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοστας· Οὐαλλέριος δὲ Ἀντίλας τρεῖς καὶ ὄγδοηκοντα καὶ ἔξανοστας itaque et Iuba cum Varrone concilietur et Dionysius rursus Valerium suum sequatur? scio eiusmodi traiectiones uerborum non e lenium esse remediorum numero, sed non possum non fateri mihi multo uideri facilius corrigere haec uerba quam ea quae nunc leguntur cum reliuis conciliare. accedit quod ea quae apud Dionysium II 37 in eiusdem belli cum Sabinis narratione legimus: οἱ δὲ (Sabini) οὐδενὶ τῶν ἀξιούμενων ὑπακούσαντες, ἐξῆγον τὴν στρατιὰν, πεζοὺς μὲν ἄροντες πεντακιλίους ἐπὶ δύο μυριάσιν ἵππεις δὲ ὀλίγους δέοντας χιλίων. ἦν δὲ καὶ τῶν Ρωμαίων δύναμις οὐ πολὺ τῆς Σαβίνων δέουσα δύο μὲν αἱ τῶν πεζῶν μυριάδες ὀκτακόσιοι δὲ ἵππεις iterum Antiatem sapere uidentur.

Quoniam autem denuo ad numerorum rationes delapsus sum, e re erit quaestionem omnium difficillimam tangere quae est de numeris capitum censorum quorum apud Dionysium et Liuium in antiquissimis temporibus fit mentio. quamquam enim Niebuhrius sunnisi eos artificiis rationibusque ingeniosissime excogitatis defendere et explicare conatus est, tamen eis adsentiendum arbitror qui ut Schweglerus II p. 689 et Mommsenus chronol. p. 92 pro lubidine factos eos esse censem. atque habere mihi uideor, quibus suspicionem de Antiate huius fraudis auctore a Schweglero l. c. iactam magis quam certis confirmatam argumentis probare possim. Ille enim apud Censorinum (de die nat. 17) auctor est ludos saeculares factos esse a. u. c. IOV et IOCIV, cum in quindecim uirorum commentariis sub annis IOXVIII et IOCXXVIII

notarentur. praecedunt autem uerba haece: 'primos enim ludos saeculares exactis regibus post Romanam conditam annis CCXXXV a Valerio Publicola institutos esse \*.\*.\* ad XV uirorum commentarios anno CCLXXXVIII M. Valerio Sp. Verginio eos'. et recte hoc quoque loco ad Antiatis auctoritatem in eis quae interciderunt a Censorino prouocatum fuisse ueteres editores intellexerunt. ille enim ludorum saecularium antiquitates eo accuratius perscrutatus erat, quod eorum origo e familia Valeriorum et prisco Voleso repetebatur. cf. Valer. Maxim. II 4,5. aptius autem ei uisum erat Valerium Poplicolam uindicem libertatis hos ludos instituisse uel potius e sacris gentiliciis in rem publicam traduxisse quam M. Valerium Laetucam consulem anni CCLXXXVIII qui nullo alio facinore inclaruit. atque Plutarchus in hac quoque re Antiatem secutos Poplicolam quartum consulem e libris Sibyllinis Diti patri ludos fecisse tradit (Popl. 21), in eo quidem falsus quod pro altero Poplicolae consulatu quartum poneret. uerba enim Censorini 'annis post Romanam conditam CCXXXV' annum ducentesimum quadragesimum sextum significant. Hac autem Poplicolae laude non sibi satisfecit Valerius sed longius progressus ab hoc sacrificio lustrorum quoque instaurationem repetiit. pleraque enim lustra quae a Dionysio per tempora ante cladem gallicam commemorantur ad hoc initium sunt compositi. inueniuntur autem haece: a. u. e. CCXXXVI (Dion. V 20) CCLVI (Dion. V 75) CCLXI (Dion. VI 96) CCLXXX qui debuit esse CCLXXI (Dion. VIII 36). conuenit denique ipsius censurae initium, quae a. u. e. CCCXI instituta esse fertur. Ab altera parte extant lustrorum notationes quae cum his nullo modo conciliari possunt a. u. e. CCLXXXVIIII (Liu. III 3) et CCLXXXIX (Liu. III 24): census enim hoc anno coeptus est institui, etsi CCLXXXV denum lustrum est conditum. ne autem hanc diuersitatem ad diuersos Liu Dionysique auctores referamus uetant ipsius Dionysi uerba quibus lustrum anni CCLXXXV nouisse sese significat (XI 63) et practerea per totum tertium librum saepius Antiatis auctoritate usum esse Liuium constat. neque casu factum esse potest quod in alteram hanc lustrorum seriem quadrat annus alterius censurae CCCXVIII, quam primam fuisse rectissime suspicatus est Mommseus chronol. pag. 90. mira sane est Liu inconsiderantia qui cum ad annum

CCCXI censores quinquennales institutos esse tradiderit non animaduerterit tum anno CCCXVI, non CCCXVIII nouos censores creatos esse oportere. qui autem factum sit ut Valerius Antias tam sibi non constaret et cum ab initio recte sexto quoque anno Iustrum notaret subito e ratione excideret, difficilis res est explicatu. id unum certum uidetur eum in monumentis ueteribus censuram anni CCCXVIII repperisse; fortasse autem Iustrum anni CCLXXX demonstrat eum leniter deflexa ratione pedetemptim per annos CCLXI — CCLXXX — CCLXXXVIII ad uerum censurae initium uoluisse peruenire. Vnum est quo iure aliquis sententiam meam refutare posse uideatur. quid enim quod Dionysius hos numeros non e libris historicorum sed ex ipsis censorum monumentis accipere potuit? sane Dionysium et commentarios et tabulas censorum nouisse negari nequit. priores quidem quos I 74 conmemorat non ultra censurae initium progressos esse suapte natura intellegitur; tabulas uero censorum eum ipsum inspexisse neque ex eis uerbis quibus eorum facit mentionem (III 22) colligitur neque omnino credi potest eum tam diligens in harum rerum exploratione posuisse studium. quorum enim praeterea excitatur auctoritas librorum *Ιερῶν τε καὶ ἀποθέτων* (XI 62) eos Dionysium non ipsum uidisse sed e Licini Macri analibus nouisse statim ostendam. extat denique monumentorum priscorum memoria horum: annualium pontificum quos uidit Polybius I 74: οὐδὲ ἐπὶ τοῦ παρὸτοῖς ἀρχιερεῦσι — certissima haec est Niebuhrii conjectura — *καιμένου πίνευσος* z. t. l., commentariorum pontificum in quibus Fortunae muliebris bis locutae prodigium erat relatum (VIII 56) quorumque testimonium e Varrone sine dubio sumpsit, et librorum sacerorum (quos item pontificum commentarios fuisse suspicatur Schweglerus) X 1: *κομιδὴ δ' ὁλῆγα τινὲς ἐν Ιεραῖς ἵν βίβλοις ἀποκείμενα ἡ νόμων εἰχε δύναμιν.*

Antiatem excipit Licinius Mace r qui singularem inter romanarum rerum scriptores antiquos tenet locum, siquidem primus ad uetera monumenta animum aduertisse eaque accuratius explorasse uidetur. quod non tam ipsius diligentiae laudi duxerim quam totius illius saeculi quo studium antiquitatis romanae effebuerat ingenio. intellegebant enim niri docti uerustatem non posse explicari nisi e patrum monumentis, sacerdotum magistra-

tuumque commentariis, fastorum libris. qua in re indefessum prae ceteris posuit studium M. Terentius Varro, Macro paullo aetate maior — quinquagesimum enim agebat annum cum ille morte turpi occumberet — et certe iam antea antiquitatem e laus simis doctrinae suae copiis inlustrire cooperat. uerisimile igitur est hoc exemplo illum eo esse deductum ut nouo more historiae traditae a uertustatis reliquiis fidem facere conaretur. quo in studio quam paullum sit profectum optime Mommsenus docuit (hist. rom. III pag. 591) ac sane grauissimi est momenti quod nemo fere ex omnibus illis aetatis Varronianae philologis historiam patriam condere aggressus est. utut autem haec se habent, Macro ex hoc antiquitatis studio summa apud recentiores exorta est laus ita ut uix quidquam eius auctoritate certius sanctiusque esse uideretur, dum tandem nouissime Mommsenus in libro de chronologia romana ne nimiam ei tribueremus fidem fraude aliqua ipsius detecta prudenter monuit. ego autem confidenter eum non solum Antiati non praeferendum sed eo magis detestabilem esse contendo, quod certa ratione antiquorum fabulas mendaciaque de regum historia in fraudulentam annalium speciem cogere atque digerere conatus est. Sed nideamus quid ei tribuerit Dionysius. Primum commemoratur II 52 de morte Tati, quem solum lapidibus obrutum obiisse narrauerat. Tum III 6 (Tarquinius) παραγίνεται δ' εἰς Ῥώμην Ἀγονού Μαρκίου βασιλεύσαντος ὡς μὲν Γέλλιος ιστορεῖ κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς βασιλείας· ὡς δὲ Αι-  
ζίννιος γράφει κατὰ τὸν ὄγδοον· — ἐν ὑστέρῳ μὲν γὰρ οὐκ ἀν εἴη  
χρόνῳ παραγγονώς εἴγε δὴ κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν τῆς Ἀγονού  
δυναστείας ἐπτέων ἡγούμενος ἐπὶ τὸν πρὸς Λαετίνους πόλεμον ὅπο  
τοῦ βασιλέως πέμπεται ὡς ἀμφότεροι λέγουσιν οἱ συγγραφεῖς. Haec autem ita sunt comparata ut longius inde progredi possimus. si enim res gestas Anci quales a Dionysio enumerantur accuratius inspicimus, uitam huius regis ab annalium quodam scriptore per singulos annos digestam ita conposuisse eum adparebit, ut fastidium lecturis ex annorum arida enumeratione orturum eis quae arctiore uinculo continerentur iuxta se positis euitaret. Postquam Ancus rem publicam composuit (anno I) bellum contra Latinos gerit uictosque in urbem traducit (II) III 38: τῷ δ' ἔξῆς  
ἐνιαυτῷ Λαετίνων εἰς ἔρημον τὸ Πολιτώμον ἀποίκους ἀποστειλάντων  
π. τ. λ. (III). ibid. τῷ δ' ἔξῆς ἔτει Λαετίνοι μὲν ἐπὶ Μεδύλλειαν

πόλιν στρατεύσαντες (III). ibid. Μεδύλλειάν τε τριετή χρόνον ὑπὸ τοῖς Λατίνοις γενομένην (V—VII) τῷ τετάρτῳ κομίζεται πάλιν ἐνιαυτῷ (VIII) III 39: μετὰ τοῦτο γίνονται Λατίνων τε καὶ Ρωμαίων μεγάλαις δυνάμεσι παραταξαμένων μάχαι διπταῖ (VIII) — καὶ συμπλοκαὶ — ἐν αἷς ἐπεκράτουν ὡς τὰ πολλὰ Ρωμαῖοι δύναμιν ὑπαιθροὺς ἔχοντες ἐν τοῖς ἐπιναίροις φρουρίοις ὑποναθημένην, ἵς ὁ Τυρρηνὸς Ταρκύνιος ἥγειτο. scimus autem ex eis quae supra adscripti, Licinium et qui eum fere sequitur Gellium\*) bellum aduersus Latinos in quo primum inclaruit Tarquinius ad nonum Anci annum rettulisse, neque dubium esse potest quin omnia haec Licinio debuerit Dionysius. Eiusdem fit denuo mentio V 47: τότε πρῶτον ὡς Αιγάνιος ἴστορει τοῦτον ἐξενδούσης τὸν θρίαμβον (ouationem) τῆς βουλῆς quibuscum conferantur Pliniana XV 38, 125, et V 74: Αιγάνιος δὲ παρ' Ἀλβανῶν οἰεῖται τὸν δικτάτωρα Ρωμαίους εἰληφέναι κ.τ.λ. neque uero casu factum esse potest ut Dionysius huic loco quid Licinius de dictatura origine statuerit insereret, sed ipsum in primae dictatura anno definiendo secutus est. cum enim hac in re a Liui antiquorumque scriptorum ratione prorsus recederet, fieri non potuit ut Licinium commemoraret eumque, siquidem dissensit, ab altera parte stare ne uerbo quidem significaret. quid autem quod hinc aliud quoque adsequi licet? etenim apud Liuum primus dictator est anni CCLIII, alter Postumius CCLV, cum Dionysius primam dictaturam ad annum CCLVI, alteram pugnamque Regillensem ad a. CCLVIII referret. num casu factum esse putabimus quod inter primam alteramque dictaturam apud utrumque idem triennii spatium intercedit? aut omnia me fallunt aut hoc exemplo praeclarum Mommseni inuentum, Romanos antiquissimis temporibus annorum computum secundum Capitolinae aedis dedicationem instituisse, ut maxime confirmatur. in fastis enim antiquis quibus et Liui auctor et Licinius utebatur extabat dictatorem primum factum esse annos VIII, alterum qui Latinos profligauit annos XII post aedem Capitolinam, consulum nominibus non additis ut apud Plinium XXXIII 1, 19. quod diuerso modo acceptum est cum Liuianus auctor, quem Fabium fuisse supra uidi-

\*) Gellium ante Licinium seripsisse nullis cōprobari potest argumentis.

dimus, dictatorem primum anno nono post dedicationem Valerio I Horatio I eos. factam adscriberet et ad Post. Cominium T. Larcium eos. referret, Licinius uero a dedicatione Valerio III Horatio II eos. facta (Dion. V 35) profectus et annos nouem d<sup>e</sup> decimo anno interpretatus ad T. Larcium Q. Cloelium eos. deueniret, eodemque modo pugnam Regillensem non CCLV sed CCLVIII factam esse scribebat. quae si recte disputauit consectarium est e Licinio item haustum esse quod Dionysius acdem Capitolinam non primo sed altero Horati consulatu dedicatam esse tradit.

Duobus denique locis cum uituperatione est memoria Licini coniuncta, primum quod ueterem fabulam secutus Tarquinium ipsum in pugna Regillensi dimicasse narrauerat (VI 11), deinde quod Graecorum temporum minime curiosus Dionysium Siciliae tyrrannum Coriolani aequalem fuisse crediderat VII 1: ὡς Λικίνιος γέγραψε καὶ Γέλλιος καὶ ἄλλοι συγχροὶ τῶν Ρωμαίων συγγραφέων οὐθὲν ἔξητανότες τῶν περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβῶς ὡς αὐτὸν τοῦργον δῆλοι, ἀλλ' εἰκῇ τὸ προστυχὸν ἀποφαινόμενοι. quamquam autem iam eis quae modo exposui satis cautum est ne contumeliosis his Dionysi uerbis plus tribuamus eumque omnino Licinium parui aestimasse colligamus, tamen nouo exemplo quanta apud eum fuerit illius auctoritas demonstrabo. narrat enim Linius consules anni CCCXI a Licinio demum e libris linteis Ardeatinoque foedere in fastos esse relatos (III 7), qua de re quid iudicandum sit nunc e Mommseni praeclara disputatione (chron. pag. 90) perspicillicet. prorsus uero eadem inuenimus apud Dionysium XI 62: αὗται δύο κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν ἀρχαὶ Ρωμαίων αἱ τὸ μέγιστον ἔχονται πράτος ἐγένοντο. πλὴν οὐκ ἐν ἀπάσαις ταῖς Ρωμαϊκαῖς χρονογραφίαις ἀμφότεραι φαίνονται, ἀλλ' ἐν αἷς μὲν οἱ γιλιάρχοι μόνον, ἐν αἷς δ' οἱ ὄπατοι, ἐν οὐ πολλαῖς δ' ἀμφότεραι, αἱς ἡμεῖς οὐκ ἀνευ λογισμοῦ συγνατατιθέμεθα, πιστεύοντες δὲ ταῖς ἐκ τῶν ἱερῶν τε καὶ ἀποθέτων βίβλων μαρτυρίαις. ubi βίβλους illos ἱερούς τε καὶ ἀποθέτους nihil aliud esse atque libros linteos quorum auctoritatib<sup>e</sup> obsecuti sunt Licinius Tuberoque supra iam dixi.

Quoniam uero Linii illo testimonio docemur Licinium uetera quoque foedera e tablinis rei publicae depprompsisse, non improbabilis uidetur ea virorum doctorum conjectura qua nonnullos Dionysi locos quibus item talium antiquitatis monumentorum fit mentio ad Licini auctoritatem referendos esse censuerunt. qua

in re insignis est foederis Latini a Sp. Cassio icti memoria (VI 95), cum ipsam foederis tabulam Dionysium uidere non potuisse a Cicerone doceamus pro Balbo 23, 53. 'cum Latinis omnibus foedus esse ictum Sp. Cassio Post. Cominio cos. quis ignorat? quod quidem nuper in columna aenea meminimus post rostra incisum et perscriptum fuisse'. neque enim Cicero, sic loqui potuisset si ipsa columna etiamtum extaret. e Cassi autem foedere excerpta esse nomina triginta populorum latinorum qui apud Ferentinum lucum coniurarunt (Dion. V 61) certissima est Schwegleri conjectura (hist. rom. II 324 adn. 3). unum tantum addam, eam quoque Dionysi partem, qua Cassiae legis agrariae historia enarratur e Licinio uel ut accuratius dicam e recentiore scriptore qui a popularium stetit partibus desumptam esse arbitror. quod ut tam confidenter contendam summa moneor similitudine quae inter Cassiam Semproniamque leges frumentarias intercedit. monuit iam Niebuhrus (hist. II 190) eam Cassi legem qua populo pecuniam pro frumento siculo expensam reddendam esse censuit e Tib. Gracchi rogatione ut pecunia Attali populo romano distribueretur esse fictam, et accedit quod, ut apud Dionysium (VIII 72) Verginius consul Hernicos Latinosque ad comitia urbem ingressos eicit, sic Fannius consul socios qui ad legem C. Gracchi de sociis pop. rom. sanciendam undique conuenerant egredi iusserat. neminem uero aptius hoc modo Gracchorum memoriam restituere Semproniarumque legum initia e summa uetustate repetere conatum esse puto quam Licinium Maerum tribunum turbulentum qui strenue optimatum potentiam frangere ausus est. quo in studio ne ab eo quidem abhorruisse eius audaciam ut historiam corrumperet atque uitiaret, luculento nuper ostendit exemplo Mommsenus (chron. pag. 90). non erat igitur eur miratur Schweglerus quod apud Dionysium et Liuium inter ea quae Cassia lex praescripsisset inueniretur ut Latini Hernicique partem agri publici acciperent, cum hoc quoque e Tib. Gracchi lege sumptum esse adpareat. Restat ut Gabinum quoque foedus (Dion. III 58) ex eodem auctore excerpti potuisse moneam.

Quo haec accuratius exposui eo breuius nunc mihi dicendum est de Aelio Dionysi auctore, quem eundem esse atque Liui auctorem Q. Aelium Tuberonem certum est. Quantu eum fecerit Dionysius et ex eis patet quae supra exposui et his eius uerbis

conprobatur: (I 80) ὡς δὲ Τονβέρων *Αἴλιος δεινὸς ἀνήρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἴστορος ἐπιμελῆς γράφει κ. τ. λ.* aliter enim de Romuli Remique iuentute rettulit atque Fabius reliquie scriptores antiqui. num autem saepius eo Dionysius usus sit prorsus est incertum.

Seeuntur apud Dionysium Gellii quos ut in unum *Gnaeum Gelliūm* conponeremus Nipperdeius mihi persuasit (Philol. VI 131). qui cum tanto volumine historiam romanam considerit ut in tertio libro paullo ultra Sabinarum raptum progressus esset, non est dubitandum quin mira haec diligentia Dionysio magnopere placuerit multaque quae apud eum leguntur e Gelli thesauris uastissimis sint expilata, quibus quidquid priores commenti erant sine iudicio congestum continebatur. atque prima quidem eius extat mentio II 31: *ταῦτα (Sabinarum raptum) δὲ γενέσθαι τινὲς μὲν γράφουσι κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς Ρωμύλου ἀρχῆς. Γναῖος δὲ Γέλλιος κατὰ τὸν τέταρτον: ὃ καὶ μᾶλλον εἰπός;* statimque addam non improbabilem eam uideri R. Merkeli coniecturam (prol. in fast. pag. LXXXII), qua quae apud Dionysium II 45. 46 leguntur e Gelli libro tertio expressa esse statuit. uide Gellium apud A. Gell. n. a. XIII 22. prorsus enim inter eos conuenit, quod Hersilia legationis raptarum auctor existit ipsaque apud Tatium regem uerba de pace facit, ac uerba Dionysi (II 45) καὶ τὴν ἡγεμονίαν ἔχοντα τῆς πρεσβείας Ἐρσιλία μαργαρίτην διεξήλθε δέησιν, ἀξιούσαν γαρίσσαθαι τὴν εἰρήνην ταῖς δεομέρεις ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν. κ. τ. λ. Hersiliae orationem quae apud Gellium legebatur respicere uidentur.\*<sup>\*)</sup> Tum II 72 de fetialibus: *εἰ μέντοι παρὰ τῶν καλούμένων Ἐπικλῶν [sic AB] τὸ παράδειγμα ἔλαβεν, ὥσπερ οὖνται τινες ἡ παρὰ τῆς Ἀρδεατῶν πόλεως ὡς Γέλλιος γράφει οὐκ ἔχω. λέγειν.* quae si coniungis cum eis quae II 76 leguntur: γενέαν δὲ κατελιπών, ὡς μὲν οἱ πλειονὶς γράφουσιν, υἱοὺς τέτταρας καὶ θυγατέρα μίαν ὃν ἔτι σώζεται τὰ γένη. ὡς δὲ Γέλλιος Γναῖος ἴστορει θυγατέρα μόνην ἐξ ἣς ἐγένετο Ἄγνος Μάροιος saepius Gellium a Dionysio per uitam Numae inspectum esse adparet. Deinde III 6 de quo loco supra iam (pag. 26) dixi. Inconsiderantiam denique

\*<sup>\*)</sup> Quae si ita se habent apud Charisium pag. 54 K. in uerbis e Gelli libro tertio adlatis pro 'capite cum aliis paucibus consilium' facillima mutatione 'capit cum aliis paucibus consilium' legendum esse uidetur.

eius et neglegentiam exagitat VI 11 et VII 1; uide quae dixi pag. 28. quibus quantum sit tribuendum apud eum scriptorem qui Fabium summis extollit laudibus eundemque per totum librum turpiter neglegit unusquisque intellegit. Possis quoque ad Gellium referre ea quae I 42 narrantur: ἐν δὴ τούτοις μάχη πρατηθεῖσι καὶ τὸν ὑπὸ Ρωμαίων μυθολογούμενον Κάζον, δυναστήν τινα ποιιδῆ βάροβαρον καὶ ανθρωπον ἀνημέρων ἄρχοντα, γενέσθαι φασίν αὐτῷ διάφορον, ἐρυμνοῖς χωρίοις ἐπικαθίμενον καὶ διὰ ταῦτα τοὺς πλησιοχώρους ὄντα ληπτούν, si contuleris Solini uerba I 8: 'Hic (eacus) ut Gellius tradit, cum a Tarchone Tyrrheno ad quem legatus uenerat Marsyae regis, socio Megale Phryge custodiae foret datum, frustratus uincula unde uenerat rediit et praesidiis amplioribus occupato circa Vulturum et Campaniam regno, dum etiam ea attractare auderet quae concesserant (lege: concessa erant) in Arcadum iura, duce Hercule qui tunc forte aderat oppressus est'. cf. Plin. III 108. omnino enim Gellius antiquissimam Italiae historiam accuratius in primis duobus libris exposuisse uidetur. uide Solin. II 28 ubi pro 'Coelius' Gelli nomen non 'fortasse' sed necessario reponendum esse Krausius uidere debuit. neque refragabor si qui eam fabulam de Lacedaemoniorum in Italianam campumque Pometinum aduentu cuius meminit Dionysius II 49: ἔστι δέ τις καὶ ἄλλος ὑπὲρ τῶν Σεβίνων ἐν ἴστορίαις ἐπιχωρίοις λεγόμενος λόγος ο.τ.λ. e Gellio repetendum esse censem conlato Seruio ad Aen. VIII 65. uide quoque Preller. mythol. pag. 378. uerisimile enim certe est multo saepius Gelli auctoritatem a Dionysio esse usurpatam quam nunc ob paucitatem eorum quae nobis ex eo seruata sunt dignoscere possumus.

Vltimus prodeat L. Calpurnius Piso censorius quo Dionysium saepius usum esse iam uidimus (cf. pag. 15) quem etsi uiri docti inde a Niebuhrio non ita magni aestimare solent, apud ueteres tamen summam obtinuisse auctoritatem a Liuio docemur cuius libros primum atque alterum praeter Fabium Pisonis praecepue nisi uestigiis iam monui. neque Dionysius per priorem antiquitatum partem spreuit, quamquam postea ubi rei publicae liberae tempora enarrantur eum propter nimiam exilitatem neglexisse uberioribusque Antiatis Maerique annalibus postposuisse uidetur. et certe Piso cum id praecepue sectaretur ut maiorum uirtute ex historia patrum declarata iuuentuti aetatis sua quasi

exemplar proponeret, quo propius ad sua deprauata tempora accedebat eo breuius res romanis explicuit ita ut totam historiam septem libris complecteretur. atque iam in eis quae de Fabio disputauimus quid Dionysius Pisonis de Tarpeiae proditione narrationi tribuerit uidimus, neque in relicua belli contra Sabinos descriptione eum neglectum esse docent ea quae de Metto Curtio leguntur II 42: ἔξαιμος δ' ὁν ηδη καὶ πατεβελῆς ὁ Κούρτιος ὑπήρει πατέρων καὶ αὐτὸν ἐκ τῶν πατόπιν ὑπεδέχετο [sic AB] λίμνη βαθεῖα. — ταῦτη πλησιάσας ἔργιψεν ἐκυρών εἰς τὸ νάμα σὺν τοῖς ὄπλοις et in fine capitinis: οὗτος ὁ τόπος ἀναπέχωσται μὲν ηδη παλεῖται δ' ἐξ ἐκείνου τοῦ πάθους Κούρτιος λάκνος ἐν μέσῳ μάλιστα ὡν τῆς Πωματῶν ἀγορᾶς. quibuscum conferre licet Varronis de ling. lat. V 156: 'Piso in annalibus scribit Sabino bello quod fuit Romulo et Tatio, uirum fortissimum Metium Curtium Sabinum — in locum palustrem qui tum fuit in foro antequam cloacae sunt factae secessisse atque suos in Capitolium recepisse; ab eo lacum inuenisse nomen'. Hinc autem admirari possumus egregiam iudicii seueritatem, qua Dionysius diuersas historicorum fabulas connectere et conponere solitus sit, qui cum primum Pisonem Iacum Curti nomen ea quam protuli ratione explicantem secutus esset, postea eius rei adeo est oblitus ut alteram narrationem apud Varro l. c. Procili auctoritate firmatam suo loco XIII 20. 21. recoqueret. Sed ne a uia aberrare me patiar, primum eos locos enumerabo quibus apud ipsum Dionysium Pisonis fit mentio. Praeter II 38—40 et fragmentum Escorialense de coniuratione Maeliana conmemoratur IIII 6 idque summa cum laude quod unus omnium scriptorum Tarquinium superbum non filium sed nepotem Prisci fuisse narrauerat. Tum III 15 de Seruio Tullio: ὁς δὲ Πείσων Λεύκιος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἐνιαυσίων ἀναγραφῶν ἴστορει βουλόμενος καὶ τῶν ἐν ἀστεί διατριβόντων τὸ πλήθος εἰδέναι τῶν τε γεννωμένων καὶ τῶν ἀπογνωμένων καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων ἔταξεν ὅσον ἔδει νόμισμα παταφέρειν ὑπὲρ ἐκάστου τοὺς προσήκοντας κ. τ. λ. Denique frag. XII 10 Piso auctor est per lectisternii tempora in summa omnium ciuium et seruorum licentia nullum esse commissum flagitium. Vel ex his adparet eum Pisonem per regum praecipue historiam esse secutum, quod eis quae statim proferam tam conprobatur, ut ego Dionysium inde a quinto libro Pisonis auctoritatem prorsus neglexisse contendam.

neque id eis quae in fragmentis Ambrosianis XII 10 leguntur infringitur, cum ea ad mores illius saeculi describendos spectent; immo saepius factum esse potest, cum Piso ad hanc potissimum partem animum adtenderit, ut Dionysius eiusmodi plura ex eo excerpserit, in ipsa rerum gestarum enarratione alios eosque ubiores auctores secutus. hanc meam sententiam inde confirmare possum quod Pisonianorum annalium uestigia in prioribus tantum libris comparent, in reliuis uero frustra inuestigantur. Scimus, ut nonnulla proferam exempla, Pisonem secessionem plebis in Auentinum, non in montem sacrum factam esse tradidisse (Liu. II 58): tantum abest ut Dionysius Pisonem sequatur ut ne conmemoret quidem discedentem eius in alias partes narrationem. Porro ille primum duos tantum tribunos plebi factos esse auctor erat cum Dionysius statim in monte sacro quinque creatos esse tradat (VI 89). quantopere autem in caussis quibus effectum esset ut Collatinus a ciuibus expelleretur explicandis dissenserint, iam monui.

Contra in prioribus libris Pisonis etiam nomine non addito rationem habitam esse multis conprobari potest exemplis. uelut, ut a quinto incipia in libro, ea quae V 35 de statua Cloeliae posita referuntur prorsus cum Pisonis testimonio apud Plinium XXXIIII 13, 29 conspirant. quod enim Plinius statuam ab obsidibus ipsis dedicatam esse scribit, Dionysius autem a patribus obsidum, nihil refert cum ille Pisonem minus accurate exscripserit. Dignum autem est conmemoratione quod Dionysius hanc statuam non uidit — ταύτην ἡμεῖς μὲν οὐκεῖτε κειμένην εὑρομεν (I. c.), cum Plutarchus qui tamdiu post uixit scribat (Popl. 21) ἀνάκειται ἀνδρὶς αὐτῆς cf. Schwegler. II 56 adn. 27. uidendum est num hoc ad Antiatis auctoritatem quam Plutarchus sequi quam ipse cogitare maluit sit referendum. Deinde duplex erat de Tulli Hostili morte opinio: Dion. III 35: καταπορθῆναι δὲ τὴν οἰκίαν οἱ μὲν ὑπὸ κεραυνοῦ λέγονται, μηνισαντος τοῦ θεοῦ δι' ὀλιγωδέαν ἐρῶν τινῶν — οἱ δὲ πλείους ἔξ ἀνθρωπίνης φασὶν ἐπιβούλης τὸ πάθος γενέσθαι. — ἦγὼ δὲ τοῦτον μὲν οὐ δέχομαι τὸν λόγον οὐτ' ἀληθῆ νομίζω οὐδὲ πιθανὸν. τῷ δὲ προτέρῳ μᾶλλον προστιθέμενος κ. τ. λ. in eorum uero numero qui Tullum coelitus tactum esse crediderunt, Pisonem fuisse e Plinio scimus II 53, 140. Denique ea quae de Numae morte referuntur: καὶ θανάτων τὸν ἄρστον ἐτελεύτησεν

ὑπὸ γῆρως μαρανθεῖς (II 76) etsi nihil habent singulare tamen cum eis quae Plutarchus e Pisone profert (Numae 21) ἐτελεύτησεν οὐ ταχέσσι οὐδὲ αἰφνιδίου γενομένης αὐτῷ τῆς τελευτῆς ἀλλὰ κατὰ μηχάνην ὑπὸ γῆρως καὶ νόσου μαλακῆς ἀπομαρανθόμενος ὡς ἵστορης Πείσων ita congruant ut ex codem auctore deprompta uideantur.

Quae de historicis Latinis quibus Dionysius usus est dicenda mibi erant exposui, restat ut de eo scriptore disseram qui quamquam historiam non scripsit, tamen tam aeri studio Romanorum tempora antiquissima perscrutatus est ut neglegi nullo modo potuerit. M. Terentium Varronem dico, qui in antiquitatum suarum libris tam largam euicuimodi cognitionis copiam proposuerat, ut de ea omnes qui postea uetustatem romanam explicare conati sunt decerperent. mihi autem quid ei debuerit Dionysius extricare conatuero si quid omiserim aut minus recte intellectexerim ex summa huius rei difficultate parata est uenia. nemo enim post Popmam, cuius operam ut illis temporibus laudabilem ita nullo modo satisfacere quicunque in his literis periculum fecerunt experti sunt, Varronis per totum latinarum literarum orbem dispersa membra in unum colligere et disponere adgressus est.

Primum Varro commemoratur I 14. 15 τῶν δὲ πόλεων ἐν αἷς τὸ πρώτον φύγεσσιν Ἀβοριγῖνες, διλγαὶ περιήσαν ἐπ' ἔμοι· αἱ δὲ πλεῖσται ὑπὸ τε πολέμων καὶ ἄλλων κακῶν οἰκοφθορηθεῖσαι ἔρημοι ἀφεῖνται· ἵσσαι δὲ ἐν τῇ Ρεατίνῃ γῆ τῶν Ἀπεννίνων ὁρῶν οὐ μακράν ὡς Βάρδων Τερέντιος ἐν ἀρχαιολογίαις γράφει. u. τ. λ. atque ueri est simillimum hunc urbium Aborigineum catalogum in antiquitatum humanarum libris eis quibus de locis agebatur locum suum habuisse. quod ut statuam imprimis accurata spatiiorum quibus singula distant oppida descriptione moueor. e prioribus uero de hominibus libris sumpta sunt quae I 16 de Aborigineum aduersus Siculos bellis narrantur. haec enim etiamsi Varronis nomen nusquam comparet, tamen ad eum referenda esse docent ipsa Varronis uerba (de l. 1. V 53) ‘Palatum — aut quod Palatini, qui et Aborigines ex agro Reatino qui appellatur Palatum ibi considerunt.’ cf. Schoemann. opusc. I pag. 8. Sed accuratius etiam quo in libro has Aborigineum antiquitates explicuerit definiri potest; cum enim inde ab altero libro de hominibus egerit atque in ipso eo libro Aeneae errores relatos esse constet in tertio libro

cius gentis ad quam ille peruerterit historiam explicatam fuisse per se est uerisimile. quod autem Cato fere idem rettulit — uide Dion. II 49 — nil aliud demonstrat, nisi Varronem eum in Italorum populorum originibus explicandis secutum esse. Haec excipiunt apud Dionysium nonnulla de Pelasgis partim e graecis scriptoribus de quibus adeundus est Kuschelius partim e Varrone sumpta, uelut ea quae I 19 — 21 de Pelasgorum et Aboriginem consortio narrantur. primum enim oraculum quod Pelasgis Dodonae factum est quodque Λεύκιος Μάλλιος ἀνήρ οὐκ ἄσημος ipsum se uidisse contenderat, e Varrone adseritur a Macrobio saturn. I 7, 28 — 31. non autem erat cur L. Ianus hunc Mallium cuius apud Macrobiū denuo I 10, 4 sit mentio pro uiro ‘alias ignoto’ haberet, cum apud Varronem quoque de l. l. V 31 conmemoretur. \*) deinde autem eis quae I 21 de institutorum Pelasgicorum apud Faliscos uestigiis leguntur, insunt quae speciem doctrinæ Varronianæ præ se ferant. Aptissime enim cum uerbis: ἔνθα καὶ τῶν θυητολίων ὁ τρόπος ὅμοιος ἦν καὶ γυναικες ἑραὶ θεοπεύσουσαι τὸ τέμενος, ἡ δὲ λεγομένη πανηφόρος ἄγνη γέμων παις παταρχομένη τῶν θυμάτων χρονος τε παρθένων ὑμνουσῶν τὴν θεὸν ὠδαῖς πατρίοις comparari possunt quae Lydus de mensibus (fragm. Caseol. init.) e Varrone de Valeria Lupercia rettulit. uide Rothium in mus. rhen. IIII pag. 279. neque mihi uidentur Varrone indigna ea quae apud Seruum ad Aen. VII 695 leguntur: ‘Faliscos Iahesus condidit. hi autem immutato *H* in *F* Falisci dicti sunt, si-  
cut febris dicitur quae ante hebris dicebatur, Formiae quae Hormiae fuerunt ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. nam posteritas in multis nominibus *F* pro *H* posuit. iustos autem dicit quia populus romanus missis decem uiris ab ipsis iura fetialia collegit.’ cf. Fest. u. Formiae.

Porro Euandri Hereulisque res gestae, in quibus enarrandis saepius auctores Romani excitantur, ut: ἐξηροστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωικῶν ὡς ἀντοί Ρωμαῖοι λέγονται (I 30), quin maximam partem ex antiquitatibus libris sumptae sint nullus dubito, sed accuratius ea persequi nunc supersedeo. Sequitur apud Dionysium narratio de Aeneae erroribus, quos item Varro libro al-

\*) Omnia horum locorum si coniuncta efficitur ut apud Festum u. Sexagenarii p. 334 M. non: Manilius sed Mallius restitendum uideatur.

tero rerum humanarum — errat enim Merkelius (prol. in fast. p. CXIII) cf. Krahner. de Varronis antiq. p. 16. — uberrime delineauerat. quantopere autem eius copias compilauerit Dionysius unum apte demonstrabit exemplum. ait (I 55) ἦν γάρ τι θέστατον αὐτοῖς ὡς μὲν τινες λέγουσιν ἐν Δωδώνῃ γενόμενον; ὡς δ' ἔτεροι γοράφουσιν ἐν Ἐρυθραις κ. τ. λ. quibuscum conferas Serui ad Aen. III 256: ‘ut Varro in secundo diuinorum (lege: humanarum) dixit oraculum hoc a Dodonaeo Ioue apud Epirum acceperunt.’ attamen ipse Dionysius cum paullo ante quae Aeneas in Epiro perfecisset enarraret (I 51) eos quos oraculum hoc Dodona petitum esse dixerant secutus est. leguntur autem ibi haec: *Αἰνείας*, δὲ καὶ οἱ ἀκμαίωταοι σὺν αὐτῷ τοῦ στρατοῦ διενίσσεντες ἡμερῶν δυων ὄδὸν εἰς Δωδώνην ἀφικνοῦνται χρησόμενοι τῷ θεῷ — ἀνελόμενοι δὲ χρησμούς — ἐπὶ τῷ ναυτικὸν ἀφικνοῦνται, τεττάρων μάλιστα ἡμερῶν διελθόντες ὄδὸν· δῆλοι δὲ καὶ τὴν εἰς Βούτησον τῶν Τρώων παρουσίαν λόφος τις, φ' ποτὲ (lege: τότε) στρατοπέδῳ ἔχοντο Τροία καλούμενος. Verba ultima inde a δῆλοι a solo Vrbinate codice Lapique uestione seruata sunt, sed uide quam eis conueniant quae apud eundem Seruium III 349 leguntur: ‘Idem etiam Varro Troiam Epiri ab Aenea siue a comitibus eius Byopator nuncupatam docet, ubi Troiana classis Aeneam expectasse sociosque eius castra in tumulis habuisse mémoratur’. non habeo quo uocabulum corruptum Byopator commode expediam, suspicor ibi latere nomina comitum et dum melius inueniatur ut: *Gya [et] Patrone* scribamus suadeo. neque est quod cogat ut haec cum Ritschelio a Seruio e Varronis legationum libris sumpta esse statuamus. Porro quae in eodem capite extant: οἱ δὲ σὺν *Αἰνείᾳ* ποιησάμενοι τὴν ἀπόβασιν οὐ καθ' ἐν χωρίον τῆς Ἰταλίας, ἀλλὰ ταῖς μὲν πλεύσας νενσὶ πρὸς ἀκραν Ἰαπωνίας δρυσάμενοι, ἢ τότε Σαλεντῖνος ἐλέγετο, ταῖς δὲ λοιπαῖς κατὰ τὸ καλούμενον Ἀθηναῖον, ἐνθα καὶ αὐτὸς *Αἰνείας* ἐπύγχανεν ἐπιβὰς Ἰταλίας κ. τ. λ. rursus e Varrone manarunt. primum enim hac occasione factum est, ut Aeneas cum sacrificaret Diomedes uideretur et ille ne inimico uiso turbaretur capite uelato sacrificium perageret: τοὺς δ' ἀπ' ἐκείνου γενομένους ὡς ἐν τῷ τῶν περὶ τὰς Λερονογύλας νομίμων καὶ τοῦτο διατηρεῖν (XII 22) eandem uero huius moris caussam e Varrone refert Seruius II 166. tum apte huc quadrant qua de Sallentinorum origine e Varronis humanarum rerum an-

tiquitatum libris profert Probus (ad Ecl. VI 31). quod enim apud illum haec e tertio antiquitatum libro excerpta esse legitur errore factum et in 'II libro' corrigendum est.

Grauissimum uero est quod ne Graecas quidem fabulas aliter quam e Varrone nouisse uidetur Dionysius. argumento sint fabulae de Dardani genere et prole satis fuse I 61. 62 expositae, quas ad alterum humanarum rerum librum referre non dubitabimus, si ea quae de Varronis doctissima disputatione nobis seruata sunt perlustrauerimus. sunt autem haec: Seru. ad Aen. III 167 postquam Dardani originem satis accurate exposuit addit: 'Graeci et Varro humanarum rerum Dardanum non ex Italia sed de Arcadia urbe Pheneo oriundum dicunt'. ibid. III 148: 'Sane hos deos Dardanum e Samothracia in Phrygiam, Aeneam uero in Italiam e Phrygia transtulisse idem Varro testatur'. Schol. Bob. in Cic. pro Sestio pag. 299 ubi origines Atticae nullam aliam ob caussam, ut uidetur, accuratissime referuntur quam quod in Atticorum regum serie Erichthonius enumeratur, cuius nomen iam a Dardani filio Erichthonio, ὃς ἀπάρτων ἀνθρώπων εὐδαιμονέστατος λέγεται γενέσθαι. (Dion. I 62), erat occupatum.\*)

Albanorum denique regum tabulam ab Alexandro fictam et a Castore propagatam (cf. Mommsen. chronol. pag. 152) e Varrone eum accepisse suspicor. qui quo indefesso studio omnia quae ad origines urbis inlustrandas pertinerent collegit, haec certe non neglexit. Vnum addam: mirum enim est quod fabulae Graecorum de origine urbis quae apud Dionysium I 72. 73 leguntur cum eis quae a Festo u. Roma, Seruio ad Aen. I 273, Plutarcho Romul. 2 congesta sunt in multis prorsus conspirant, cum in aliis omnes hi scriptores in diuersissimas abeant partes. aut igitur eos omnes ipsos in has res inquisiuisse et obscurissimos Graecorum scriptores, Promathiona Cliniam Alegium alias euoluisse statuendum est, quod parum habet probabilitatis aut, quod multo ueri est similius, concedendum eos omnes ex uno eodemque fonte quae sibi memoratu digna uiderentur in suum usum conuertisse.

---

\*) Eodem spectant Varronianae quae Augustinus de ciu. dei XVIII 10 fin. e libris de gente populi romani adfert — vide Krahner l. c. pag. 24 adn. 25 — fortasse in illis ea quae in antiquitatum libris quasi in transeursu perstrinxerat tantum, accuratius erant exposita.

Vnde autem aptius talia eos haurire potuisse putabimus, quam e Varrone quem toto libro — fortasse quarto — accuratissime initia urbis explicasse Quintilianus testis est (I 6, 12)? sed omnia hacc ut accuratius exponantur certisque argumentis demonstretur opus est, id quod nunc quidem nec possum nec uolo. ut igitur rem ad finem deducam nunc ea tantum quae aut ipsius Dionysi testimonio aut relictorum scriptorum consensu ad Varronem referenda esse conprobatur enumerabo, speroque fore ut aliquando ad hanc prouinciam redeam et ea imprimis retractem quae in altero Dionysi libro de saeris populi romani e Varrone sumpta esse Merkelius statuit. Extat Varronis nomen his locis: II 21 postquam Dionysius Romulum sexaginta instituisse dixit, addit: λέγω δ' ἡ Τερέντιος Οὐάρρων ἐν ἀρχαιολογίαις γέγονεν, quod quomodo sit accipiendum docet Merkelius l. c. pag. CXIII. II 47 e Varronis sententia Sabinarum quae pacem inter patres et maritos conciliauerint numerum IOXXVII fuisse narrat et capite quod sequitur antiquitates sabinas ex eodem auctore explicat. IIII 62 denique fabula de libris Sibyllinis enarrata pergit: λέγω δ' ἡ Τερέντιος Οὐάρρων ἵστορην ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ. uide Merkel. l. c. CXVII.

Haec omnia ex antiquitatibus libris sumpta sunt et quaeri potest num Dionysius alios quoque Varronis libros in manibus habuerit. quod haud magnam habet uerisimilitudinis speciem cum Dionysius nequaquam is fuerit, qui quo nos solemus studio omnia quae ad antiquitates romanicas quidquam facere uiderentur peruestigaret. Immo ex eis tantum doctrinam suam hausit, quibus non sine magno incommodo uti potuit atque cum in uasto illo Varroniana doctrinae thesauro omnia quae ad historiam institutaque publica sacraue pertinerent cum puluisculo essent exhausta, reliqua non ita curans his contentus fuisse uidetur. unum fortasse praeterea Varronis opus inspexit, libros de uita populi romani. in his enim ut e Seruio ad Aen. VII 176 scimus, dicebat 'quid a quaue gente traxerint per imitationem' (cf. Krahner, I. I. pag. 10. Ritschel. pag. 508) atque cum in uerbis modo conmemoratis quod Romani in epulis sedere solerent a Laconibus repeteret, fortasse ad eundem librum referendae sunt quae apud Dionysium tam saepe occurrunt Romanorum Lacedaemoniorumque suorum comparationes. cf. Schwegler. I 252 adn. 4.

Oportuit sane me nunc alteram omnis de auctoribus aliquius scriptoris disputationis partem persequi, qua de singulis Dionysi locis ex ordine disputans quem potissimum ubique auctorem secutus esset inuestigarem. quod cum fines tali scriptioi propositos longe sit excessurum, nunc huic meae quantulaeunque opellae finem imponam. Id saltem effecisse me spero, ut demonstrauerim quantopere ei errent qui Dionysium multa ipsum excogitasse statuant rectissimeque iudicasse Niebuhrium cum diceret (schol. de hist. rom. I pag. 44):

Ich bin überzeugt dasz er auszer in den Demegorieen und pragmatischen Reflexionen durchaus nichts erfunden und nichts absichtlich versäumt hat; er verarbeitete seine Quellen freilich ohne Auswahl und sah nur darauf, wie reichlich die Materialien waren, die ihm geboten wurden.

---

## ADOLPHI KIESSLINGII VITA

Natus sum Chelmiae Borussorum die XV mensis februarii anni h. s. XXXVII Adolpho et Maria parentibus optimis quos immatura morte ereptos lugeo. fidei addictus sum euangelicae. litterarum primordiis a patre inbutus a. LI gymnasium adii Fridericum Guilelmum quod Berolini floret directore F. Rankio. ubi postquam per biennium disciplina uu. dd. Boehmii Bresemeri Drogani Schellbachii usus sum, inter scholae cathedralis Numburgensis alumnos receptus e Foertschii Holtzii Huelseni Liebaldtii Silberi auunculi dilectissimi doctrina et institutione egregios percepi fructus. ineunte anno LV ad hanc rhenanam litterarum antiquarum arcem migraui philologicis studiis operam daturus. atque euenit mihi ut exacto anno recipere in seminarium philologicum et per quinquiens sex menses insigni fruerer disciplina Welckeri Ritscheliique. praeterea scholis interfui Brunnii Buechelerique et Iahmii qui eximia comitate studia mea fouit. quibus uiris omnibus grates ago maximas, plane singulares uero debeo Friderico Ritschelio qui quam praeclare de me meruerit pluribus me persequi non deceat.

---

## SENTENTIAE CONTROVERSAE

- I De historiae romanae fide G. C. Lewis rectissime nuper indicauit.
- II Varronis saturae menippeae maiore ex parte compositae sunt sermone pedestri.
- III Asellio apud Gellium I 13 'scripsit ad magistratum Moelattensium sociorum amicorumque populi romani' scripsit.
- IV In Valeri Flacci uersibus hisee (I 212): 'Aequoreos uocat ecce deos Neptunus et ingens Concilium: fremere et legem defendere cuneti Hortantur'. uocabulum 'legem' mutandum est in 'regem'.
- V Senecae contron. I 1, 18 uerba corrupta sic fere restituenda puto: 'Interrogo uos iudices quid me haec occasione facere oporteat?'
- VI Supplices nouissima Aeschyli fabula.
- VII Polybi uerba V 5 sic emendo: συναισθανόμενος δὲ καὶ ἐκ τοῦ περὶ τὸν πλοῦν διαβουλίου αὐτῶν τὴν κακοπραγμοσύνην.
- VIII Apud Dionysium I 32 οἱ δὲ οὖν Ἀρχάδες — τά τε ἄλλα διεκόσμουν τὸ κτίσμα τοῖς οἶκοθεν νομίμοις κράμενοι καὶ λερὰ ἰδεύονται scribendum est.
- VIIII Ars critica propter se ipsam quae exerceatur dignissima.
- X Lessingius summus Germanorum poeta tragicus.

6.8185